Ritschl, Friedrich Wilhelm

PRISCAE
LATINITATIS EPIGRAPHICAE

SVPPLEMENTVM I

EDIDIT

FRIDERICVS RITSCHELIVS
PHIL. ET IVR. VTR. DOCTOR

INEST TABVLA LITHOGRAPHA

BONNAE
ADOLPHVS MARCVS VENDIT
MDCCCLXII

INLVSTRI · ANTECESSORVM · ORDINI

INCLVTAE · VNIVERSITATIS · ALBERTINAE

INDVSTRIAE · IN · ANTIQVITATE · ROMANA

LOCATAE · EXISTIMATORI · LIBERALISSIMO

BENEFICI · IN · SE · CONLATI · ERGO · D · D

VENERABVNDVS

FRIDERICVS · RITSCHELIVS · BONNENSIS

IVRIS · VTR · Q · DOCTOR · REGIMONTANVS

KAL · SEXTIL · A · CIↃ · IↃ · CCC · ⊥XII

A

L·I·XXVI HERCOLEI
SACROM
M·MINVCI·C·F
DICTATOR·VOV IT

1/6

B

C

ANTEROS
ACILI
SP · ID · QVI
CN·COR·L·MAR

D



Lith. Anst. von A. Henry in Bonn.

Monumentorum ad priscam Latinitatem spectantium quoniam singulari horum studiorum beneficio fit ut nova in dies seges succrescat, facile praevidimus eam quoque syllogam, qua titulorum vetustiorum varietatem in unum corpus cogere nuper instituimus, brevi temporis spatio interiecto mancam exstituram. Ei igitur incommodo ut quantum in nobis esset mederemur, supplementorum serie quadam continua apud animum statuimus epigraphices incrementa illa omnia complecti. Faciemus autem hoc ita ut eodem, quod in sylloga illa secuti sumus, consilio commentandi opellam nostram lithographi artificium comitetur ad veri similitudinem titulos quosque quam fieri potest accuratissime exprimentis. Ex eorum igitur, qui iam nunc in promptu sunt, titulorum numero in tabula prima sub *A* eum proposuimus quem nuperrime prope Romam ad aedem 'S. Lorenzo fuori le mura' repertum, mox translatum in museum Capitolinum, humanissime ut solet Henricus Brunnius noster misit. Inscriptus est ille in basi magna lapide Albano facta, quae subtus in modum fornacis excavata est: unde intellegitur foci usibus in aliqua ara sacra eam inserviisse. Tribus autem saxis constat ad hoc exemplum iunctis:

Ꮁ·I·XXVI	HERCOꮁEI	
	SACROM	
	M·MINVCI·C·F	
	DICTATOR·VOV	IT

Hic igitur titulus e qua fere aetate repetendus sit, sat certis indiciis perspicitur. Nec enim tantum anno circiter 570 priorem ⱶ litterae figura antiquior arguit, sed ipsis initiis saeculi sexti *om* terminatio in SACROM adsignat: quam quidem *o* vocalem circa annum 520 cessisse recentiori *um* formae olim diximus, facile autem, ut est consentaneum in hoc genere, largimur aliquot post annis potuisse quibusdam exemplis etiam tum durare. Nam in mediis quidem vocabulis, quale est HERCOLEI vel CONSOLI, satis illam constat longe etiam diutius perstitisse: de quo identidem significatum est alibi.

Quodsi de ipso anno facti tituli quaerimus, dictatorem quidem Minucium qui feruntur fasti consulares omnino nullum norunt. In quibus proximum tantum dictatori locum obtinens M. Minucius Rufus perscriptus est magister equitum a. 537: sed is sane tali praeter solitum condicione usus, ut non miremur si quis hunc ipsum potuisse dictatorem dici e rerum gestarum memoria arguat. Est enim is ille, quem anno altero belli Hannibalici Q. Fabius Q. f. Q. n. Maximus Verrucosus dictator, sive rectius prodictatorem dices, muneris non administrum modo et socium, sed conlegam habuit post pugnam Trasimenam: quippe cui singulari prorsus exemplo imperium esse cum dictatore aequatum sciamus auctoribus Polybio III, 103, Livio XXII, 25. 26. 27, Valerio Maximo III, 8, 2 et V, 2, 4, Plutarcho vit. Fabii c. 9, Appiano Hannib. c. 12, Cassio Dione Exc. 57, 20 p. 62 Bekk., Zonara VIII, 26 p. 193, 12 Bonn., item 'Aurelio Victore' de vir. ill. c. 43: quibus elogium illud Fabii Maximi accedit post alios ab Orellio editum Inscr. n. 541, in quo est DICTATOR · MAGISTRO · EQVITVM · MINVCIO · QVOIVS · POPVLVS · IMPERIVM · CVM · DICTATORIS · IMPERIO · AEQVAVERAT · ET · EXERCITVI · PROFLIGATO · SVBVENIT. Eum igitur magistrum equitum eo facilius quispiam suspicetur semet ipsum dictatorem dixisse, quod et 'ferocem rapidumque in consiliis ac lingua immodicum' Livius perhibeat c. 12 consentiens cum Polybio Plutarchoque, et de aequato inter utrumque imperio disserens Polybius l. s. s. 'dictatorem' apertis verbis dixerit: *αὐτοκράτορα γὰρ κἀκεῖνον κατέστησαν, πεπεισμένοι ταχέως αὐτὸν τέλος ἐπιθήσειν τοῖς πράγμασι· καὶ δὴ δύο δικτάτορες ἐγεγόνεισαν ἐπὶ τὰς αὐτὰς πράξεις, ὃ πρότερον οὐδέποτε συνεβεβήκει παρὰ Ῥωμαίοις*: item cap. 106 *οἱ μὲν δικτάτορες ἀπέθεντο τὴν ἀρχήν.*

V

Et tamen talem coniecturam cum ratio dissuadet tum fides testium evertit. Nam etsi simile quiddam in Q. Fabium Maximum cadit. quem Livius c. 31 scribit, cum *pro dictatore* a populo creatus esset, rerum gestarum gloria posterorumque imaginis titulum augentium ostentatione, ut *dictator* crederetur, facile obtinuisse: tamen nec semet ipsum dictatorem professum traditur, et plurimum discriminis inter dictatorem magistrumque equitum atque dictatorem prodictatoremque intercedere reputandum est. Ad testium autem fidem quod attinet, potuit ista quidem coniectura aliquid probabilitatis habere usque ad annum 1818 videri i. e. ante publicata a Carolo Fea nova fragmenta fastorum Capitolinorum. In his enim fragmentis. quibus magna lacuna illa, qua anni 533—546 hausti sunt, ea in parte suppletur quae ad annos 536—539 spectat (sequimur autem numeros Varronianos), quoniam dictator cum magistro equitum suo hi perscribuntur:

Q·FABIVS·Q·F·Q·N·MAXIMVS·VERRVCOSSVS·II DICT INTERREGNI·CAVS
M·MINVCIVS·L·F·C·N·RVFVS MAG·EQ

(quam quidem scripturam sua fide Henzenus firmavit Or. III n. 6436): apparet prorsus diversum a Lucii filio C. n. magistro equitum Gaii filium dictatorem esse. Rursus autem magistrum equitum illum cum Livius cap. 49, ubi in pugna Cannensi anni 538 occisum narrat, aliquot annis ante fuisse consulem prodat, sat certo intellectum est consulem anni 533, quem ceteri testes M. Minucium Rufum memorant simpliciter, in fastos sic esse referendum ut P. Cornelii Cn. f. L. n. Scipionis Asinae conlega M·MINVCIVS·L·F·C·N·RVFVS perscribatur: id quod a Baitero factum est rectissime. cum mira libidine Laurentius, parum diligens homo, P·F·Q·N posuisset.

Consequens est igitur ut alius quaeratur dictaturam gerens M. Minucius. Quem etsi consentaneum est in consularibus potissimum quaeri, tamen consules Minucios, si a magistro equitum illo discesseris, saeculum sextum totum nullos omnino vidit praeter Quintum C. f. C. n. Rufum anni 557 et Quintum Q. f. L. n. Thermum anni 561: (Marcum sane Rufum proximum saeculum habuit anno 644, sed eum Quinti filium, non Gaii:) hos autem omnes eorum temporum, quibus ne durabat quidem dictaturae usus. Ergo dubitari prorsus non potest quin non consularem lapis Romanus offerat, quantumvis id raro pro illa aetate exemplo.

Nec tamen quis ille fuerit et quando, eis esse tenebris obrutum videtur, quas non liceat partim memoriae indicio partim coniecturae ope ita dispellere ut ad persuasionem vix quicquam desit. De eodem enim, cuius supra mentio facta, Q. Fabio haec quae subiecimus Valerius Maximus I, 1, 5 prodidit in exemplis violatae religionis: 'At Sulpicio inter sacrificandum e capite apex prolapsus eidem sacerdotium abstulit, occentusque soricis auditus Fabio Maximo dictaturam, C. Flaminio magisterium equitum deponendi caussam praebuit.' Rem autem eandem memorans Plutarchus in vita Marcelli c. 5 in eo uno discedit a Valerio, quod non Fabio, sed Minucio dictatori id accidisse scribit: Μινυκίου δὲ δικτάτορος ἵππαρχον ἀποδείξαντος Γάιον Φλαμίνιον, ἐπεὶ τρισμὸς ἠκολούθει μυὸς ὃν σόρικα (immo σώρικα) καλοῦσιν, ἀποψηφισάμενοι τούτους αὖθις ἑτέρους κατέστησαν. De hac igitur discrepantia sic statuebat Sigonius comm. in fast. et triumph. Rom. (f. 59 v. ed. Ald. a. 1556) ut fidem Valerio adiungendam diceret, hoc usus argumento quod bis dictatorem fuisse Fabium cum Livius cap. 9, 7 tum elogium Fabii in lapide inscriptum testarentur: id quod cum per se verissimum sit, tum prorsus nunc confirmatum est adscripto in fastorum fragmento Feano ad a. 537 $\overline{\text{II}}$ numero. Verum eo tamen argumento illam in partem nihil probari facile apparet, apparet autem eo evidentius quo certiorem iudicandi viam ipsius Plutarchi verba monstrant αὖθις ἑτέρους κατέστησαν: quae cum neglexisset Sigonius, de interregno dictatorem excipiente post abdicationem cogitabat. Quid enim? nonne caussa erroris sive Valeriani sive Plutarchei, eiusque satis proclivis, prorsus in propatulo est, ubi fastorum memoriam aut talem animo informaveris:

Q·FABIVS·Q·F·Q·N·MAXIMVS·VERRVCOSSVS DICT
C·FLAMINIVS·C·F·L·N MAG·EQ COMIT·HAB·CAVSSA
VITIO·FACTI·ABDICARVNT·IN·EORVM·LOCVM·FACTI·SVNT
M·MINVCIVS·C·F·*·N DICT
. . . . MAG·EQ

aut hance:

M·MINVCIVS·C·F·*·N DICT
C·FLAMINIVS·C·F·L·N MAG·EQ COMIT·HAB·CAVSSA
VITIO·FACTI·ABDICARVNT·IN·EORVM·LOCVM·FACTI·SVNT
Q·FABIVS·Q·F·Q·N·MAXIMVS·VERRVCOSSVS DICT
. . . . MAG·EQ

Et hanc quidem alteram non mirer si quis eo argumento commendet, quo video Haakhium usum in Encyclopaediae Paulyanae t. III p. 480 ut fidem Valerio omnino esse derogandam probaret: quippe parum simile veri esse ab optimatium principe Fabio eorundem acerrimum adversarium Flaminium esse magistrum equitum sibi sociatum. Tali tamen ratiunculae, ut verum fateamur, non tantum tribuimus quin possit contra sentiri: quando temporum illorum rationes rimantibus non unam caussam vel condicio rerum vel ipsius mores Fabii suggerunt, quae hominis popularis creationem sive suadere volenti sive invito extorquere potuerit. Verum aliud est quod, ut Plutarchum potius sequamur, suadeat: Fabius enim si parvo temporis intervallo interiecto abdicasset, eiusdem dictaturam alteram Livius vix videtur ita commemoraturus fuisse quin eius rei quamvis brevem mentionem faceret. A Minucio autem ut ara Herculi voveretur, facile intellegitur vel paucissimorum dierum dictaturam sufficere potuisse.

Sequitur ut quaeratur, cui anno hae dictaturae cum magisteriis equitum suis tribuendae sint. Trium autem annorum 533. 534. 535, ut qui et in lapidibus Capitolinis interciderint et Livio teste careant, quoniam optio data est, videndum de consulibus e quorum absentia caussa probabilis creandi dictatoris repetatur. Et de eo quidem qui medius est anno 534 nemo praeter ceteros cogitabit: quo nec magister equitum sat commode credetur C. Flaminius dictus, quem eo ipso anno constat censurae munere cum L. Aemilio Papo functum, nec externi belli gravioris difficultas ulla incidit. Nihil enim ex hoc genere proditum est praeter rei tenuioris tenuem Zonarae VIII, 20 p. 174 hanc memoriam: *Λούκιος δὲ Οὐετούριος καὶ Γάιος Λουτάτιος ἦλθον μέχρι τῶν Ἄλπεων, ἄνευ δὲ μάχης πολλοὺς ᾠκειώσαντο.* Multo graviorem caussam dixeris in Illyrici belli rebus gestis inventam esse, quod proximo anno 535 insecutum est, finitum autem devicto Demetrio Phario Illyriorumque terra omni perdomita. Ad hoc enim bellum gerendum etsi Polybius quidem unum esse L. Aemilium Paullum Roma missum cum exercitu tradit III, 16 eundemque victorem unum triumphasse cap. 19: quocum convenit Iustino 'Demetrium regem Illyriorum nuper a Paulo Romano victum' memoranti XXIX, 2: tamen conlegae quoque M. Livii Salinatoris aliquas partes fuisse creditum est

aliis. Nam et Zonaras sane l. s. s. ambo consules nominatim dicit, et ultra progressus scriptor libelli de vir. ill. c. 50 'Livium Salinatorem primo consulem de Illyriis triumphasse' testatur: e quo fonte solo duplex nunc triumphus Livii in fastos intravit. Viderique potest ad aliquam belli societatem ipsa caussa accusati damnatique populi iudicio Salinatoris spectare, ut quem 'praedam non aequaliter divisisse militibus' quartus qui Frontini fertur liber Strategematicon cap. 1, 45 memoret: quocum non necesse est pugnare Victorem credi 'peculatus reum' perhibentem: nam Livius quidem, qui iudicii illius atque damnationis mentionem ter inicit XXII, 35. XXVII, 34. XXIX, 37, caussam accusandi nusquam dicit. Horum igitur testimoniorum obscuritatem suo unus quisque sensu arbitretur quid valere contra simplicem certamque Polybii auctoritatem dicat: cui saltem tantum nemo non tribuet quin primas partes easque longe splendidiores fuisse Aemilii Paulli sibi persuadeat, Livii autem, si modo aliquo tempore particeps fuit belli, tam prae illis exiguas ut, cur ne habendis comitiis quidem praesto esse Romae potuerit, evidens caussa non appareat. Verum esto ut ille non adiuverit tantum Paullum in debellando Demetrio, sed cum eodem eius triumphi honorem communicaverit quem uni Aemilio Paullo Polybius etiam altero quodam testimonio tribuit quod est lib. IV c. 66 (κατὰ δὲ τὸν καιρὸν τοῦτον Αἰμίλιος ἐκ τῆς Ἰλλυρίδος εἰσῆγε λαμπρῶς εἰς τὴν Ῥώμην τὸν θρίαμβον): ne sic quidem dictaturae necessitatem ullam fuisse intelleges, ubi ad tempora gesti belli Polybio duce animum adverteris. Quippe ὑπὸ τὴν ὡραίαν Λεύκιον τὸν Αἰμίλιον ἐξαπέστειλαν μετὰ δυνάμεως ἐπὶ τὰς κατὰ τὴν Ἰλλυρίδα πράξεις capite 16 teste, ληγούσης δὲ ἤδη τῆς θερείας εἰς τὴν Ῥώμην ἐπανῆλθε καὶ τὴν εἴσοδον ἐποιήσατο μετὰ θριάμβου καὶ τῆς ἁπάσης εὐδοξίας c. 19. Ergo ab exitu aestatis satis profecto temporis relictum erat, quo consules fierent idibus Martiis anni proximi munus suscepturi.

Atque talibus quales pertexuimus ratiocinationibus etiam Sigonium motum esse suspicamur, ut 're in omnes partes diu multumque versata' (ipsius verba sunt) in anno 533 subsisteret cui Fabii dictaturam adsignaret, profectus ille a belli Histrici cogitatione quo implicati consules ab urbe afuissent. Quam quidem coniecturam fatendum est tantum commendationis habere quantum cui nihil obstet. Neque enim de ipso bello illo plus compertum habemus

quam a consulibus ambobus P. Cornelio M. Minucio (L. f.) gestum esse teste Zonara l. s. s., qui illos dicit πολλὰ τῶν ἐκεῖ ἐθνῶν τὰ μὲν πολέμῳ τὰ δὲ ὁμολογίαις ὑποτάξαι, gestum autem ‘multo Romanorum sanguine’ Eutropio III, 7 Orosioque IV, 13 auctoribus. Cum huius autem sententiae probabilitate haud scio an proximo vinculo alius rei quamvis dubia memoria coniuncta sit, ad quam nunc est transeundum. Quas enim in sinistra monumenti parte inscriptas sive litteras sive notas L·I·XXVI conspicis, quid tandem sibi velle dices? De quibus acriter meditatus denique ‘re in omnes partes diu multumque versata’ in eo substiti ut illas non alio nisi ad *legiones primam* et *vicesimam sextam* spectare intellegerem, vel ut modestius loquar, mihi viderer intellegere: nam si quid novisti rectius istis, felicioris ingenii sagacitati lubens cedam. Non profecto eam memoriam ita interpretabimur, quasi de dictatoris legionibus cogitare liceat: nec enim extra Italiam bellum geri a dictatore potuit, nec omnino ‘rei gerundae caussa’ dictum dictatorem aetas illa, quae inter annos 505 et 537 interiecta est, ullum vidit certissimo teste Livio XXII, 8 et 11: nihil ut de Zonarae silentio dicam. Immo binas legiones consulares interpretamur, easque non P. Cornelii, sed a M. Minucio L. f. ad debellandos Histros eductas, pro quarum victoria votum Herculi Romae morans M. Minucius C. f. dictator fecerit. Legiones enim nominatim commemorari ut novum est in tanta votivorum titulorum multitudine, ita nec suapte natura iustam ea res dubitandi caussam habet. nec singularis ratio deest qua, quod usitatum non esset, illo potissimum anno et ab ipso Minucio esse factum coniciamus. Sed huc infra revertetur oratio. Maiori offensioni numerum futurum esse *legionis XXVI* suspicamur pro illorum quidem temporum rationibus. Non ignoramus adeo *tricesimae* mentionem fieri in titulo Beneventano ab Henzeno publicato syllogae Orellianae t. III n. 6669*a*: C·CLODIO·P·F·STE·LEG·XXX ‖ ET·VALERIAE·SEX·L ‖ *the*ODORAE ‖ H·F·C: ubi verissime Henzenus ‘et miles’ ait ‘et legio cognomine carentes aetatem satis antiquam testantur’. Quo accedere una e glandibus missilibus videri potest a Caietano de Minicis editis in Dissertationibus academiae Romanae pontificiae anni 1844. t. XI p. 189 sqq.:

quae haec est in adiecta tabula chalcographa n. 11 (iterata in P. L. M. E. tab. VIII, 17):

L XXX

V V

Vbi etsi, quid sibi velint V V litterae, nondum satis expeditum est, tamen non esse de *Vlpia Victrice* cogitandum quae Traianae aetatis fuit, sed de belli Marsici temporibus, quibus eam glandem communis cum aliis similibus ex Aprutinis proventus adsignat, iure suo editor Romanus p. 209 disputavit. Nam ipsius legionis XXVI etsi item exemplum in promptu est lapidis Vaticani apud eundem Henzenum n. 6493, tamen hunc titulum ad Augusteam aetatem referendum esse iam Borghesius docuit Observ. numism. dec. I, 8 p. 153 sq. editionis luculentissimae eiusdemque exoptatissimae Parisinae. Verum illis tamen exemplis minime satis fieri concedendum est, ut quae septimum saeculum certo non superent antiquitate: nos autem in temporibus belli Hannibalici versamur, vel ut rectius dicam, in eis quae illud etiam antecesserunt. Per huius autem belli tempora Livium constat ultra *vicesimam* (XXVII, 14. 38) certo nomine h. e. numero legionem nullam memorare. Nec tamen id non casui dandum esse inde apparet, quod certis annis quibusdam a Romanis una pugnatum esse una et viginti (XXVI, 28. XXVII, 22) atque adeo tribus et viginti legionibus (XXVI, 1. XXVII, 36) idem scribit: quas quibus tandem nominibus nisi eis dictas putabis quae a numerorum serie ducerentur? quando cognomina aetas illa nulla novit. Accedit autem, quod maximi in caussa nostra momenti esse intellegimus. Qua enim necessitate illos numeros eos ipsos dices qui a *I* pertinent ad *XXIII*? An quicquam obstat quominus non renovasse Romanos pristina nomina, sed perrexisse numerando credamus, si quae legiones vel interiissent vel dimissae essent? Vt, si quo anno non plures quam quattuor essent, tamen eae non *I. II. III. IV* dicerentur sed, ut ipso exemplo nostro utamur, *I* et . . . et . . . et *XXVI*? Quod si ita se habuit, offendendi caussam omnem esse sublatam sentis. — Titulus sane Minucianus si ex eis esset, quorum apographa tantum maiorum aetas nobis prodidit, non dubitamus quin exstituri essent qui probabiliores scilicet legionum numeros proclivi coniectura restituere animum inducerent: una enim

interpunctione altero e loco translata in alterum haud paullo commodiores numeros dixeris IX · XVI prodituros. Nunc autem postquam insigni horum studiorum beneficio fidem lapidum firmare tam certo quam simplici ectyporum artificio didicimus, prorsus ineptus sit qui talibus argutiis delectetur. Et sexta decima substituta in locum sextae et vicesimae quid tandem proficias?

Dictator igitur M. Minucius C. f. anni 533 ille qua necessitudine cum ceteris eiusdem aetatis Minuciis Rufis contineatur, quoniam avi nomen additum non est in lapide Romano, non satis compertum. Potuit ille aut eius Gaii filius esse, quem Lucius Marci consulis pater patrem habuit, aut eius qui Gaio illo prognatus pater Quinti consulis exstitit, h. e. Lucii aut frater aut ex fratre nepos: id quod licebit stemmatis genealogici his exemplis declarare:



Nec utrum utri praestet, ulla cum confidentia ex aetatis annis inter se conlatis efficias, quando maior minorve natu esse frater fratre potuit. Non magis de patre eius M. Minucii Rufi constat, quem et praetorem a. 557 fuisse et postmodum alias res gessisse Livius auctor est l. XXXII, 27, alibi. Quem sat commode aut Marci consulis filium aut (modo prius stemma sequare) Quinti fratrem dicas, nisi ipsius esse dictatoris filius possit.

Dictaturam quod supra dicebamus raro pro illa aetate exemplo viro non consulari conlatam, mirabuntur fortasse qui nulla id aetate non rarum fuisse et praeter legem factum enchiridiorum nostrorum scriptoribus crediderint, velut Beckero II, 2 p. 155 Langioque I p. 544. Et tamen longe aliud fasti consulares docent diligentius perquisiti. Nam etsi ‘consulares legi’ ipsa lex iubebat de dictatore creando lata auctore Livio II, 18: tamen non ‘aliquot’

tantum exemplis illa neglecta est, sed per sat magnum temporis spatium quoddam tam frequens non consularium creatio fuit, ut adeo minore numero consulares appareant. Nam inde a principio si fastos perlustraveris, haec ratio prodibit quam infra scripsimus, Baiteri potissimum opera usi. Habes enim, nisi quid peccavimus numerando,

per annos	dictatores: in his	consulares	non consulares
253—387	XX	XIII	VII
391—433	XXVII	XII	XV
434—453	XIII	omnes	
circ. 467	unum		unum
474—552	XXI	omnes praeter Minucium:	

quando anni 537 dictator L. Veturius Philo caussa non est cur alius esse atque consul anni 534 credatur. Ceterum in his indicibus consentaneum fuit et eodem cum consulibus loco tribunos militum consulari potestate haberi, et Gliciam illum non curari quem anno 505 indigno ludibrio dictatorem P. Claudius Pulcher dixit.*) Nec in calculorum illorum ratione universa quicquam mutari scito, si forte a ceteris dictatoribus eos esse discernendos opinere qui optima lege dictatores rei gerundae caussa fuere. Itaque quoniam tantam, quantam ab a. 391, i. e. a communicata cum plebeiis consulari dignitate, ad a. 433 fuisse vides, non consularium multitudinem inde ab a. 434 summa consularium constantia excipit, fieri vix potest quin de nova lege aliqua cogitemus, qua circa illud ipsum tempus lata ad pristinam severitatem dictatoris creatio revocata sit: cuius legis casu factum est ut mentio nulla superet. Mansit autem ea severitas, si ab uno Q. Hortensio anni circiter 467

*) De ambiguis pro re nata breviter statuimus. Praeterea qui tamquam cum pulvisculo rem exhaurire voluerit, etiam distinctius poterit ea exempla designare, cum non consulares, sed qui vel dictatura (ut a. 336. 405) vel magisterio equitum (ut a. 323) iam prius functi essent, dictatores dicti sunt. Nec magistri equitum desunt qui, cum item consulares non essent, tamen iam antea vel eodem magisterio equitum (ut a. 405) vel ipsa adeo dictatura functi erant (ut a. 394: nam post dictaturam susceptum magisterium equitum etiam anni 419. 422. 429. 434 testantur). Qualia exempla ubi e ceterorum multitudine exemeris, calculorum nostrorum numeri paullulum immutantur, de vi et summa argumentationis nihil detrahitur.

discesseris *). ad M. Minucium per integrum saeculum, post Hortensium per annos sexaginta quinque: unde intellegis non tantum raro exemplo, ut dicebamus supra, sed rarissimo, immo prope singulari non consularem Minucium esse dictatorem dictum. Licebit igitur de singulari caussa aliqua tam insolentis rei suspicari: velut de factioso studio gentilicio M. Minucii consulis, quo is sive patruo sive fratri patrueli gratificaretur: nam ille quam superbo intemperantique ingenio fuerit, quadriennio post magister equitum satis probavit. Qualem caussam ubi animo informaveris, illud quoque sat proclivi coniectura adsequare, dictatorem quid potissimum moverit ut pro legionum Minuciarum salute atque prosperitate, excluso P. Cornelii exercitu, votum susciperet. — Ceterum *Herculi* simpliciter votum ille faciebat pro victoria militari, pro qua etiam usitatius *Herculi Victori* consules praetoresve plurimi. Vix autem est quod moneamus nullo constructionis vinculo cum ipso titulo principali legionum numeros contineri, sed seorsum in latere adscriptos esse consolita antiquitatis simplicitate. Quos licuerat, si placuisset et mos aetatis tulisset, ceteris in fine sic nectere: VOVIT · PRO · Ⱶ · I · XXVI vel PRO · SAⱵVTE · Ⱶ · I · XXVI sive PRO · VICTORIA males.

Corollarii loco, quoniam de dictatura paullo explicatius diximus, non abs re fuerit etiam de magisterio equitum paucis significare, quamquam id ad inscriptionem nostram nihil pertinet. Nam de hoc quoque minus diligenter praecipi ab eisdem enchiridiorum scriptoribus intelleximus. Quorum ut incuriam breviter vitemus, magisteriorum illorum hanc proponimus, quae ad dictatorum indices accommodata est, annorum tabulam. Igitur sciendum est fuisse

per annos	magistros eq. consulares	non consulares
253 — 387	XIII	VII
391 — 433	VII	XXI
434 — 466	IX	IV
468 — 552	X	VII

*) Nisi forte huic alterum exemplum addendum est Cn. Fulvii Cn. f. Cn. n. Maximi Centumali dictatoris a. 491, sed tantum 'clavi figendi caussa' dicti: quem tametsi eundem haberi cum consule a. 456 video, tamen nescio an probabilius ab illo ut alium distinguas. — Alias quasdam eiusdem generis dubitationes hic persequi longum est. In contrariam partem, ut hoc

Vnde intellegitur ea aetate, quam alteram fecimus, prorsus similem rationem inter consulares et non consulares magistros equitum atque dictatores intercessisse, nisi quod multo etiam maior numerus non consularium fuit: post annum autem 433 minime esse eidem atque in dictatura severitati locum datum.

Superest ut reliquas inscriptiones tabulae I breviter percenseamus.

Itaque sub *B* speculi illius Cosani, quod in monumentorum Instituti archaeologici Romani vol. VI tab. XXIV publicatum iteravimus P. L. M. E. tab. XI sub *M*, eam quae ad *Proserpinam* spectat epigrapham repraesentavimus novo exemplo duce ab Henrico Brunnio parato. E quo certo perspicitur, quod nomen adhuc credebatur PROSEPNAI scriptum esse, hac potius specie esse: PROSEPNAIS : cuius formae littera extrema pro cirro infra positi capitis habita est. Quae res ut perlevis momenti esse facile cuipiam videbitur, ita non nihil confert ad recte aestimandas genetivi primae declinationis vicissitudines, de quibus significatum est, non explicatum Musei Rhenani t. XIV p. 406. Vbi quam sola ratione duce genetivi formam in *aïs* desinentem proponebamus, primo nunc ipsorum monumentorum exemplo confirmare licet. De extrita in *Prose(r)p(i)nais* et *r* et *i* littera cum diximus alibi tum commodo dicemus. Genetivi autem cum alio casu in eodem monumento consociationem etsi per se non est cur magis mirere quam sociata MIRQVRIOS et ALIXENTROM in Berolinensi speculo, IVNO HERCELE et IOVEI in Kircheriano (nam nec de accusativo ALIXENTROM nec de dativo IOVEI dubitandum), tamen trium casuum in speculo Cosano iunctorum, VENOS nominativi cum DIOVEM accusativo et genetivo PROSEPNAIS, simile quod sciamus exemplum nondum inventum est. Fatendum est enim de talium formarum ratione Francisci Buecheleri nostri quamvis subtili disputatione, quae est in Musei Rhen. t. XV p. 444 sq., certissimis de caussis nobis non persuasum esse. — Ceterum de veriore hac inscriptionis lectione ipse iam Brunnius admonuit in 'Bullettino' Inst. Rom. a. 1862 p. 6.

---

utar, valet quod caussa non apparet cur a consule anni 402 diversus putetur magister equitum anni 422 P. Valerius Poplicola, vel a cos. a. 507 mag. eq. a. 530 N. Fabius M. f. M. n. Buteo.

Porro novam sub *C* tesseram gladiatoriam

ANTEROS
ACILI
SP · ID · QVI
CN · COR · L · MAR

ad illarum multitudinem addidimus, quas a Clemente Cardinali olim congestas in Diplomatis imperialibus, Velitris ed. a. 1835, non paucorum exemplorum accessione aetas nostra auctas vidit: quorum maiorem partem lithographi arte repraesentatam habes in P. L. M. E. tab. III sub *H—W* et suppl. tab. XCVII sub *H—M.* Publicavit illam nuper Henzenus in huius anni 'Bullettino' p. 81, acceptam a cive Romano Abbati: nos Brunnio debemus stanno expressam. Ad consules eam CN · COR*nelium P. f. Lentulum Marcellinum* L · MAR*cium L. f. Q. n. Philippum* anni 698 spectare in propatulo est. Eorundem consulum in alia tessera, quam post Marinium act. fr. Arv. p. 823 cum Cardinalis p. 121 n. 177 tum Orellius n. 2561 exhibuerunt, has notas habes: CN · LE · L · PHIL · COS. Quodsi forte etiam annorum 697 et 699 novae tesserae prodierint, totius decennii illius, quod est ab a. 693 ad 702, annus nullus sua tessera carebit.

Item novum est, quod minime novi denarii Caesariani exemplum doceat sub *D* repraesentatum, perhumaniter illud nobiscum e penu suo ab Ariodante Fabrettio Taurinate communicatum, Glossarii Italici utilissimi conditore bene merentissimo. Et de nummo quidem ipso, qui anno 710 potius quam 711 esse tribuendus videtur, satis erit Mommseni qui in omnium manibus est librum commemorasse in historia rei nummariae Romanorum versantem, ubi de denario illo dictum est p. 652 et 658: nos in levicula re grammatica disceptanda haerebimus. Quippe longo ex tempore satis inter omnes constat, quam late inconstantia illa scribendi patuerit, qua modo poneretur modo omitteretur *n* consonans praemissa *s* litterae, ut in *deciens decies*, *lubens lubes, vicensimus vicesimus, Megalensia Megalesia, censor cesor, consol cosol, formonsus formosus, praegnans praegnas* et quae sunt reliqua. De quo cum grammaticorum testimonia tum titulorum codicumque exempla conso-

lita diligentia C. L. Schneiderus composuit Gramm. lat. I, p. 456 sqq. Tetigeruntque eam rem vel ex parte accuratius persecuti sunt per variarum disputationum opportunitates multi alii: nosmet ipsi Musei Rhen. t. XI p. 640, XVI p. 610: ex amicis autem praeter ceteros Guilelmus Schmitzius Marcoduranus ib. t. X p. 112 sqq., XI p. 300 sq., XVI p. 486 sq.: item H. A. Kochius Brandenburgensis ib. t. IX p. 305 sq., XI p. 640, XVI p. 160: Fr. Buechelerus Friburgensis ib. t. XII p. 132: immeritoque dubitans O. Ribbeckius Basiliensis ib. t. X p. 289: quibus Corsseni copias adde de l. l. enunt. I, p. 97 sqq. Nec ratio latet istius scribendi inconstantiae: quae dubitari nequit quin ex ipsius enuntiationis ambiguitate repetenda sit, qua factum est ut nec plena consonans nec nulla audiretur, sed medius quidam sonus prorsus ad similitudinem obscuratarum in fine vocabulorum *m* et *s* litterarum. Quod autem novum esse diximus, hoc est, quod eius enuntiandi ambiguitatis et tamquam mediocritatis certam notam a grammaticis esse inventam intellegimus, cuius primo nunc documento nummus ille Cossutii Maridiani Caesarianus prodiit. Neque enim aliam vim esse mirae PARE:S scripturae Fabrettius pervidit prorsus probabiliter. Nec tale institutum mirabitur qui, quot artificia grammatici Latini ad exaequandam cum viva voce litteraturam excogitaverint quantoque in hoc genere studio elaboraverint, meminerit: quo praeter alia et geminatio vocalium pertinet et aspiratio consonantium et I longae inventio et EI diphthongi commendatio et apicis usus et sicilici, item Graecae Y litterae: nihil ut de litteris Claudianis dicam. Nec vel aetati Caesarianae vel nobilissimo grammatico Caesari ipsi talium studiorum consiliorumque sectatores atque administri defuere: quales Cornelium Epicadum suum Sulla habuit, Lenaeum Pompeius, Augustus Verrium Flaccum. De quo iam Musei Rhen. t. IX p. 14 significabamus, explicatius alibi commentabimur.

BONNAE FORMIS CAROLI GEORGI.

PRISCAE
LATINITATIS EPIGRAPHICAE

SVPPLEMENTVM II

EDIDIT

FRIDERICVS RITSCHELIVS
PHIL. ET IVR. VTR. Q. D. ELOQ. P. P. O

INEST TABVLA LITHOGRAPHA

BONNAE
ADOLPHVS MARCVS VENDIT
MDCCCLXIII

A

L·CORNEL
CINNACOS ITER
PVRGATVMMENSEINR

B

½

C



Lith. Anst von A. Henry in Bonn.

E priscae Latinitatis titulis, qui novi in promptu sunt, eos tres hoc altero Supplementorum fasciculo sociavi, quos tabulae unius ambitu commode posse comprehendi viderem. Eorum primum, *A*, nondum editum in his terris, sumpsi ex Iulii Minervinii 'Bullettino' archaeologico Italico, ubi exemplo chalcographo expressus est in tab. add. *A* voluminis I (anni 1861), fusiore commentario enarratus a Dominico de Guidobaldi ibid. p. 113 sqq. et 129 sqq., denuo paucis tractatus a Raphaele Garruccio p. 165. Repertus est titulus in agri Caleni ea parte cui *vico Palatio* nomen fuisse ex alio lapide intellectum est quem habes in 'Bullettino' arch. Neapol. nov. t. VII p. 15, haud procul a vestigiis viae Latinae: non ille sub diu, sed in cameris subterraneis alicuius vel cloacae vel potius aquae ductus, quarum muris opere tectorio inductis litterae penicillo inscriptae sunt colore atro. Praeter eam autem in qua versamur, eiusdem modi altera inscriptio apparuit non in muro recto sed in fornice picta, verum ea mutila in hanc speciem:

PVRG
DIODOR
IDEM

Et prioris quidem tituli interpretandi otium nobis Garruccius fecit, a quo pleraque recte expedita sunt. Neque enim esse dubium potest quin sic

legendum sit, contra atque Guidobaldio visum qui de *mense introeunte* cogitabat satis mirabiliter:

L · C O R N E L*io*
C I N N A COS ITER*um*
P V R G A T V M MENSE INT*e*R*kalari*

hoc est anni u. c. 668 eo tempore quo post C. Marii mortem, qua is in ipso magistratu obiit mense Ianuario, novo conlega (L. Valerio Flacco) nondum facto unum Roma consulem L. Cinnam habuit. Quodsi omissam in monogrammate E litterae notationem offendas, est hoc sane paullo insolentius *), sed tamen eo minus ponderis habens quo facilius e pleniore, qua fortasse usus est pictor, nota ŃR una evanescere vel oculos fallere lineola potuit. Omninoque scripturam huius tituli reputandum est non recte cum eis titulis contendi qui scalpro caelati multo severiorem normam servant, verum ut penicillo pictam ad illius generis haud paullo licentioris aliquam similitudinem accedere quod scriptura *cursiva* comprehenditur: id quod cum ex

*) h. e. in lapidibus: nam a nummis similia non aliena esse Mommsenus adnotavit Hist. rei numm. p. 469. Quo et illud monogramma pertinet quo sive MTEL sive METL litterae coiugatae sunt praetermissa E alterutra, et NFL in CN FoLV, et I litterae omissione singulares ligaturae NTF in PONT*i*F, PH in PH*i*LI: ad quod genus e lapidum titulis prope accedunt Ṫ et Ṅ pro TI et INT, quae designavi nuper P. L. M. enarr. p. 72 et indic. p. 114[c] ima. — Ceterum quadruplicis nexus lapides quidem antiquiores unum quod sciam exemplum praestant tituli Campani P. L. M. tab. LXIII, B, in quo APVL litterae in unum coaluerunt. — Vtor autem hac opportunitate ut errorem Indicum illorum palaeographicorum corrigam: in quibus cum GA cognomen posui p. 115[b] med. Mommsenum secutus, debebam potius in nexibus litterarum p. 113[a] ima LA addere inque titulo illo tab. LXIII, C GLA legere h. e. GLA*brio* ut exemplo utar. Contra cognominum breviatorum recensui praeter GLA addi poterat LIB e tab. LXII, E F. Item notis vocabulorum p. 117[a] sub *g* praeter FI pro F etiam FIL ex eiusdem tabulae (quae aliquo casu videtur indiligentius excerpta esse) titulo G: paullo autem post praeter HAR etiam HARISP e t. XCVII, M. Illam autem FIL notam hoc aegrius omissam fero quo commodius ea uti possum ad didascaliae Plautinae lectionem, quam Parerg. I p. 282 sqq. commendavi, etiam certius firmandam: M *i*UNIO M FIL *p*R U*r*B. Nec alia exempla desunt, velut Praenestini tituli Petrin. p. 308, 42, Puteolani I. R. N. 2517 (Orell. 5037). — Praeterea sero vidi p. 118[c] summa sub *l* aliqua oblivione non esse P*edes* et P*assus* notas distinctas.

L litterae figura obliquiore tum ex R T I litterarum extremitate partim sinuata partim angulata cacuminataque et tamquam securiclata apparet. Ceterum INTER syllabis mensem intercalarem notatum habes etiam in epitaphiis Sancaesarianis sive Somascanis ab uno Baldinio servatis, in P. L. M. tab. XIII n. 21: paullo brevius INTE ibid. n. 46: contra plenius INTERK n. 69, INTERKAL n. 74.

Affinem titulum alterum miro consilio Garruccius sibi persuasit cum priore sic sociandum esse: *L. Cornelio Cinna consule iterum* (*castellum*) *purgatum mense intercalari. Purgavit Diodorus idem.* Duos cum esse diversissimis in locis eiusdem camerae scriptos Guidobaldius testetur apertissime, haud paullo probabilius tali potius exemplo suppleveris:

PVRG*avit* (*L . . . . L. l.*)
DIODOR*us* (*cur. aquar.*)
IDEM*que* (*refecit*)

Nisi quod versu altero etiam DIODOR*us mag. aqu.* vel aliquid simile scriptum esse potuit.

Abhinc biennium cum Musei philol. Rhenani vol. XVI p. 612 ad lapidem Praenestinum satis memorabilem animum advertissem, quem etiam nunc exstare e Garruccii in Annal. inst. arch. t. XXXII p. 237 mentione didicissem, mox precibus meis expugnatus Guilelmus Henzenus transmisso eius tituli ectypo chartaceo non mediocriter me sibi esse devinctum voluit. Quo exemplo etiam tum Romae servato Theodorus Mommsenus usus paucis de eo titulo commentabatur in 'Bullettino' inst. arch. a. 1862 m. Mart. p. 38 sq. Quae disputatio cum certos quosdam scrupulos in animo meo reliquisset, a singulari Henzeni comitate facile impetratum est ut novum in usus meos ectypum pararetur, quo cum priore illo religiose conlato talem nunc titulum ad ipsam fidem veritatis repraesentare licuit qualem tabula nostra sub *B* exhibet.

Hauseram autem eius inscriptionis notitiam e Leonardi Cecconii episcopi Montaltensis 'Storia di Palestrina' Asculi a. 1756 edita, qui repertam 'tra le

rovine esistenti presso la Chiesa della Madonna dell' Aquila' testans hoc eius exemplum posuit p. 39:

APOLON....
METILIO....
MAGISTER......
CORAVERO ...
T *)
CANICIO L.S....
RIANDO....

*) sic

Vnde profectus Petrinius in 'Memorie Prenestine disposte in forma di annali', Romae publicatis a. 1795, minus accurate repetiit p. 333 n. 25 et iterum p. 341 n. 76, repertam 'presso l'antico Foro' dicens. Fracti in duas partes lapidis valde dolendum est inferiorem partem ita uti tabula nostra docet in medio versu antepaenultimo divulsam nunc periisse.

E vetustioribus hunc titulum esse cum satis et ⱶ et ⊓ litterarum forma et neglecta geminatio et alia quaedam doceant antiquitatis propria, tum vetustissimis adnumerandum h. e. aut ineunti saeculo sexto aut quinto exeunti tribuendum esse e servata in *Metilio Anicio,* item in *coraveront* (vel fortasse *coraveron*) prisca declinatione certissime perspicitur: quando de *magistere* vel *magisteres* an *magisterei* vel *magistereis* non potest non anceps esse iudicium. Quantum autem sit quod in dextra parte perierit, facile e versu altero efficias, quo necesse est duos magistros sociatos esse. Quorum alterum cum Mommsenus sibi persuasit S praenomine fuisse, etsi in altero ectypo videri potuit tenuissima quaedam umbra eius litterae, spectans ad eius pedem, superesse, tamen nec in altero ullum illius vestigium apparuit nec quicquam eiusmodi Petrus Cicerchia Praenestinus, vir longe humanissimus, denuo examinato lapide testatus est. Esto tamen ut locus sive *Spurio* sive *Servio* detur: at ita eodem saltem iure, quo ad posteriorem magistrum ipsum, ad prioris patrem tale praenomen rettuleris: patrum enim notatione aegre carebimus ad eum versum complendum, cuius principio necessario etiam praemissum fuerit ipsius *Metilii* praenomen. Vt in pauca ratiocinationem nostram omnem conferamus, talem fere proponimus,

aliquod ut exemplum exstet, integrae inscriptionis speciem probabiliter ut putamus restitutam:

A Ꟊ O Ꝇ O N[E(I) · TVTELARE(I)
S·]M E T I Ꝇ I O[·S·F·M·OPIO·M·F
M A G I S T E R E[(IS)·FACIVND
C O R A V E R O N[T·DE·CONL·S
C·ANICIO·Ꝇ·$\overset{T}{S}$[·L·APELA·VA
R I A N D O[·PRAEFVIT

Versu 1 AꞐOꝆONei *Putio* proponebat Mommsenus: *Tutelarem* praetuli, quod eius cultum Praenestinum titulus testatum facit a Vulpio publicatus Veteris Latii t. IX p. 128, unde Cecconius p. 56 neglegentius iteravit*):

FORTVNAE · PRIMIGENIAE
SIGNVM·APOLLINIS·TVTELARIS
L·ELVIVS·FELIX·PATER·CVM·FILIO
ET · CLAVDIA · SABINA · MATER
V · S

*) Nec enim recte tribui Tiburi videri potest apud Gruterum p. 77, 1, cui miserat 'Vrsinus describente Gutenst.', descriptum autem in hunc modum:

F O R T V N A E
P R I M I G E N I A E
SIGNVM · APOLLIN
TVTEL
L · HELVIVS · FELIX
PATER · CVM · FILIO
ET
CLAVDIA · SABINA
MATER
VOTO · SVSCEPTO
S · P · L · M

Quod exemplum Petrinius sequitur p. 301, 20. Vtrum autem exemplum ad fidem veritatis propius accedat, non prius certo scietur quam Henzeni virtute cum Vrbis tum Latii inscriptiones omnes conlectae, digestae, emendatae ita prodierint ut communi usui pateant. Quod quidem consilium longe saluberrimum valde optandum est ut exspectationem nostram ne nimis piu frustretur: quando grammaticam quidem disciplinam certum est tam uberem, quam ex hac parte, fructum e nulla alia communis operis luculentissimi percepturam esse.

Quamquam sua sponte intellegitur multis aliis dei cognominibus esse locum posse. Versu 2 positus *Metilius* alios cognomines in Praenestinis quod sciam non habet: nisi quod MAETILIA·SEVERA·CONIVX est apud Cecconium p. 184 (Petrin. p. 371, 51). Versu 3 *magistros* intellege *magistros Apollinis*: quales praeter alios in Henzeni indicibus compositos p. 51 sq. praesto sunt in titulis Campanis P. L. M. tab. LXIII—LXV MAGISTREIS·CERERVS, MAGISTREIS·VENERVS·IOVIAE, CONLEGIVM·SEIVE·MAGISTREI·IOVEI·COMPAGEI, et item simpliciter aliquotiens MAGISTRI non addito dei nomine. Vnde fit ut versu 4 commodius subici DE·CONL*egi* S*ententia* videatur quam vel EX·D·D vel DE·S·S: quamquam potuit ibi sane etiam ΓEC·SACRA vel DE·STIΓE scriptum esse, credibilius id quidem saltem quam AERE (vel AIRID) ΓOΓV vel ΓOΓV·ΓEC. Versu 5 dubium esse vix potest nostra sententia quin binorum ut saepe Aniciorum libertus dicatur, L*uci* et ST*ati*. Pro quo rariore praenomine cum lapidarius S scripsisset imprudens, cognito errore supra positum esse T et consentaneum est et simillimis exemplis evidens. Velut non aliam in partem valet in Aquilano titulo P. L. M. tab. LX, c BRVT(T)IVS scriptura, quae ipsi Henzeno Orell. n. 6235 fraudi fuit: quo alia non pauca adde ex aeribus potissimum congesta Indicum nostrorum p. 121[a]. Ipsam autem Aniciorum gentem in Praenestinis non ignobilem fuisse cum cetera eius nominis exempla faciunt ut credamus: ANICIA·M·F et L·ANICI·V·F P. L. M. tab. XLV, 1. 2, quo ANICIA Henzeni accedit in Annal. inst. arch. a. 1855 p. 78 n. 3, item ANICI in mutilo lapide Petrinii p. 324, 4: tum praeter cetera Petrinianus titulus p. 321, 21 persuadet qui est talis: BASSI | ANICIO·AVCHENIO | BASSO·V·C·PROCONS | CAMP·PROVISORI·EIVS|DEM·PROVINCIAE·RES|TITVTORI·GENERIS | ANICIORVM·OB·MERITA | EIVS·INLVSTRIA | ORDO·POPVLVSQ·CIVITA|TIS·PRAENESTINAE·PON·CENS.

Quodsi, quid Aniciorum libertus ille Gaius egerit, quaeris, in promptu est probabiliter respondere. Sive enim recte legisse Cecconium RIANDO credideris (et in reliquis certe fidem ille minime destituit), seu forte RTANDO potius scriptum fuisse conieceris (quam lectionem non excludit saltem dispescendi vocabuli ratio insolentior), ullum quod quidem huc quadret verbum

Latinam linguam praestare negandum est praeter unum *variando*: id quod pro se ipse, quicumque experiri volet, cognoscere poterit *). *Variando* autem illud haud cunctanter interpretabimur vel *coloribus distinguendo* vel fortasse *opere picturato*, sive *tectorio* aut *tessellato* males, *variegando*. Nec in hominem libertum infitiabere tale artificium imprimis convenire: quod vel arae vel fano vel alicui sacello Apollinis exornando adhibitum est. Accedat igitur, si per Brunnium nostrum licebit, artificum Italorum paucitati novus sive artifex sive opifex C. Anicius L. St. l. Praenestinus: accedat ipse titulus eorum documentorum multitudini, quibus maturum fuisse apud Praenestinos artis usum vitaeque cultum elegantiorem pridem perspectum est.

Restat ut rem grammaticam paucis expediamus. Ac primum quidem *Apolonis* declinatio quae et exempla haberet et quam rationem, satis olim disputasse videmur Musei phil. Rhen. t. XII p. 109 et 476 sq., quo adde nuper dicta P. L. M. enarr. p. 3 et 99. Deinde *magisteri* dicti pro *magistris* non modo offensioni, sed ne mirationi quidem ulli sunt. Quid enim quaeso discriminis, si rationem spectas, inter illam formam et has sat confessas intercedit quae sunt *dextera dextra dextrovorsum*, *supera supra*, *infera infra*, *periculum periclum* cum similium multitudine, *calecare* (*calicare*) *calcare*, *Hercules Hercles hercle*, item *Tecumessa Tecmessa* cum finitimis? quod genus universum breviter persecuti sumus Monum. epigr. tr. p. IX sqq. Solo igitur arbitratu linguae posterior aetas *magistrum* simul et *magisterium* probavit, ut *ministrum* et *ministerium*: pro quibus, si modo placuisset, poterat etiam *magistrium* et *ministrium* adscisci. In his autem etsi subsistere possum, tamen non verebor ultra progredi ratiocinando eamque rationem iam confidentius commendare quam l. s. s. p. XI adnot. cum dubitatione significabam: ut triplici successione, sive quadruplicem dixeris, lingua credatur a mollioribns formis exorsa ad contractarum asperitatem transiisse in eaque per certam aetatem constanter perstitisse, ab hac autem duritie per decursum saeculi quinti ad pristinam suavitatem reversa eis demum temporibus, quibus est a poetis

*) Vix enim inventum iri opinamur qui velut ST|RIANDO·EXORNAVIT vel aliquid simile commendet argutiore mehercule quam subtiliore commento.

et scriptoribus exculta, asperiores formas certo temperamento cum dilectu quodam resuscitasse. Quod genus latius patere intellegitur quam cui cum pulvisculo exhauriendo hic sit locus datus. Tertio loco designanda est *corare* scriptura, cuius alterum exemplum nullum superat, ratio nequaquam latet. Quam iam Monum. epig. tr. p. 4 sqq. 34 sqq. Museique Rhen. t. XVI p. 611 sq. ita explicavi ut affinium formarum originem atque cognationem iam liceat hoc tamquam stemmate inlustrare:



Postremo ne quid praetermittatur, uno verbo monendum est de ʍ litterae ea figura quae mediis lineis solito brevioribus picta sit. Quae figura, nummorum potissimum propria, quae rariora exempla etiam in lapidibus habeat, cum Musei Rhen. t. XIV p. 140 sq. 284 sq. exposui tum plenius in P. L. M. indicibus palaeographicis p. 112 enotavi.

Cum novitatis tum antiquitatis tum artis gratiam habet quod sub *C* monumentum exhibuimus: cuius nobis pictura linearis peramice a Detlefo Detlefseno missa est Parisiis. Ibi enim ab homine privato, cui Piot nomen, possidetur emptum Neapoli. Fundum esse fractae paterae Detlefsenus scribit creta subrufa fictae nitidoque atramento oblitae prorsus ad similitudinem vasorum in Italia inferiore repertorum. In qua testa impressum, non pictum, cum ranula scorpionem mirum non est minori nobis curae esse quam item impressum ATIᒪIO nomen, sive id possessoris fuit sive, quod praestat haud dubie, opificis figuli. Nec enim anno circiter 520 recentius opus esse, servata in terminatione O vocalis sat certo argumento est. Praeterea quae adhuc

innotuerunt Latinorum antiquiorum fictilia litterata satis constat circa confinia Latii et Etruriae reperta esse omnia: e Campania nullum quod sciamus praeter hoc ipsum prodiit, nisi forte in eius societatem notabile fragmentum musei Kircheriani illud adsciscas quod in P. L. M. tab. X, H et propius ad verum Enarr. p. 101 ima repraesentavimus, cuius quidem origo ignoratur. Sed de his omnibus uberius se ipsum disputaturum in Gerhardi diariis archaeologicis Detlefsenus significavit, ut nobis quidem in uno esse Atilii praenomine subsistendum videatur. Cuius notam utrum H an K dicas, valde esse ambiguum video. Et ipsam quidem figuram si spectaveris, fatendum est aliquanto propius illam ad H litterae speciem eam accedere quam paucis sed eisdem certis exemplis ostendant aliquot nummi Hatriani antiquissimi P. L. M. tab. V. VI, item una e glandibus missilibus t. VIII, 28. Nec deest, quo illa coniectando referatur, *Herius* praenomen: cuius etsi alibi haec nota est HER (P. L. M. t. II, E = XCVII, B), tamen quem ad modum et VA et VEL et VO et iuxta, minime vitata ambiguitate, simplex V in usu fuerunt, item et SAL et SA et SER et SEX et SE et simul simplex S, ita multo etiam commodius fieri potuisse concedendum est ut etiam H simplex probaretur. Sed tamen nescio quo tamquam instinctu eo ducor ut facilius putem de neglegenter picta K littera etiam sine exemplis cogitari: quod praenomen si in eis quae supersunt monumentis vetustis perrarum est (velut M · FABRICI · K · F in titulo item Praenestino P. L. M. t. XLV, 9), at minus rarum olim fuisse ipsius vetustatis testes recentiores docent h. e. fasti consulares. Qui etsi a tertio potissimum ad quintum saeculum in gentibus Fabia Duilia Quinctia frequentatum monstrant, tamen ne sexto quidem illud prorsus obsolevisse K. Quinctius Flamininus Livii XXII, 33 et M'. Acilius L. f. K. n. Balbus cos. a. 604 argumento sunt. Licebit igitur opificibus Latinis probabiliter nisi fallimur figulum Caesonem Atilium Campanum sociare quinti saeculi exeuntis vel ineuntis sexti.

Ceterum, ut ne hoc quidem silentio transeam, praemissa inscriptioni puncti nota, nisi species prorsus fallit, non est casui tribuenda. Quod genus quantumvis rarum sit, tamen certa quaedam plumborum exempla habet quae Indic. palaeogr. p. 119[b] med. composui.

Quarto loco non fuerit iniucundum cognitu, quod tandem verum supplementum sit dimidiatae lamellae illius Bononiensis vetustissimae, quam ab Ariodante Fabrettio Taurinate primum publicatam Glossarii Italici p. 802, post Detlefseno adiutore a nobis repraesentatam P. L. M. p. 97, pluribus disceptavimus Musei Rhenani t. XVII p. 605 sqq. 640: quo adde ab amicis contra dicta ib. XVIII p. 141 sq. Quippe litteris humanissimis Raphael Garruccius nos certiores fecit nondum fractae tabellae, dum Romae est, accuratissimum exemplum delineando paratum esse inscriptionem integram talem praestans:



Quod exemplum ubi servetur, tacente Garruccio incompertum nobis. Et DIOVIS quidem illud divinando assequi nemo potuerat: quando de castu Cereris constabat deque Magnae matris castu, non item de castu Iovis vel Diovis. Sed et *c*ASTVD quod substantivum interpretati sumus, et participii ablativum FACITVD, h. e. *castu facto*, eas quidem coniecturas quod plane nunc confirmatas intelleximus, non potuit non pergratum accidere. Ceterum delineatum exemplum illud, si modo per Garruccii liberalitatem licebit, proxima tabula III proponemus.

PRISCAE

LATINITATIS EPIGRAPHICAE

SVPPLEMENTVM III

EDIDIT

FRIDERICVS RITSCHELIVS
PHIL. ET IVR. VTR. Q. D. ELOQ. P. P. O

INEST TABVLA LITHOGRAPHA

BONNAE
ADOLPHVS MARCVS VENDIT
MDCCCLXIII

A

C·HINOLEIO·C·L

APOLONE·DONO·DED

B

TVRPENO

CVATRON ALI

LORCEVIN

PR

1/4

C

SAVFEIA

1/3

D

CESTIA·Q·F

1/3

E

CINCIA·C·F

1/3

F

1/2

G

L·MA

1/3

H

SEX·GEMINIO·SEX·F

1/2

J

C·TAPIO·SEX·L

1/2

Novum nuper incrementum vetustae Latinitatis, h. e. eius quae circa tempora primi belli Punici fuit, memoriae ex eo titulo accessit quem in horum Supplementorum tabula III sub *A* repraesentavimus ad exemplum a Dominico Lib. Bar. de Guidobaldis Neapolitano pari liberalitati comitate nobis concessum. Quem ille titulum cum in 'Bullettino' archaeologico Italico, vol. II p. 23, primus publice proposuit, tum in 'Monumentorum Calenorum' libro singulari, nondum foras dato, aeri incidendum curavit in tab. III sub 2. Quippe prodiit iste ex agro C a l e n o, stilo inscriptus cistellae rectangulae e terra cocta fictae, inscriptus autem ante cocturam et in latere quidem antico aperturae apto. *) Ceterum sat planam intellectu inscriptionem habes:

C · HINOLEIO · C · L
APOLONE · DONO · DED

i. e. *C. Hinnuleius C. l. Apollini donum ded(it)*. Et eius quidem declinationis, quae est *Apol(l)onis* casu altero, hoc iam tertium ex monumentis exemplum prodit, praeter ea quae in poetarum scriptorumque libris servata cum alibi tractavimus tum nuper tetigimus Suppl. II p. IX. — Ad litteraturam autem quod attinet, nimius fuit Guidobaldius novam singularemque E litterae figuram

*) Totius cistellae figuram, una cum manu humana cuius palma porrecta illa tenetur, eleganter coloribus pictam vides in eiusdem Guidobaldii tab. III *A* fig. 2*a*: quae mihi tabula dum haec scribo demum perofficiose transmittitur. Nec incommode de a c e r r a cogitare Guidobaldium patet. Ceterum servari hoc monumentum hodie in 'museo nationali' Neapolitano sciendum est.

eamque tamquam suo peculiari iure fruentem hanc constituens ⁞. Nec enim eius figurae insolentia alia ratione censenda est atque qua aliae quoque in eodem titulo litterae lineis non coeuntibus hiant: I-I N L D Λ. Qualia exempla in P. L. M. indicibus palaeographicis p. 119[c] designata non adeo pauca habes. — Ceterum cultus Apollinis quam cordi fuerit Calenis, recte Guidobaldius monuit satis e nummis illorum intellegi: quales cum apud Carellium repraesentatos vides tum in P. L. M. t. VII, 35.

Ad Praenestinam antiquitatem reliqui tituli pertinent hac tabula consociati: quorum ectypa chartacea a viro praestantissimo Petro Cicerchia Praenestino accepta amice ut solet Guilelmus Henzenus nobiscum communicavit.

Et de eo quidem quem sub *B* posuimus paucis idem significavit in 'Bullettino' arch. Rom. a. 1863 p. 8, receperatque eum iam Mommsenus in Inscr. Lat. antiquiss. p. 562 n. 1541. Nec plus quam ab illis vel lectum est vel intellectum, nobis expiscari licuit: tam misere corrosum vel ut verius dicam deruncinatum lapidem tam mutilae hodie reliquiae pristinae scripturae occupant. Quod ut quale tandem esset et unde factum prorsus resciscerem, Wolfgangum Helbigium Dresdensem, disciplinae Bonnensis tam gnavum quam officiosum alumnum, facile precibus meis movi ut adito Praenestinorum oppido saxum illud diligenter examinaret deque eo haec ad me referret quae infra scripsi fide verborum servata.

'Die praenestinische Turpenusinschrift befindet sich auf einem Steine, in welchem man, da er für eine Bildsäulenbasis zu klein ist, nach allen Analogien eine Ara erkennen muss. Auffällig ist die Schmalheit der beiden Seiten, welche hinten an die Inschriftseite ansetzen. Schon dies macht es wahrscheinlich, dass die hintere Hälfte der Ara abgeschlagen ist. Zur Gewissheit wird diese Ansicht dadurch, dass sich in demselben Garten, wo sich die bisher bekannte Hälfte vorfindet, auch die andere erhalten hat. Denn dass die beiden Steine zusammengehören, lehrt einmal die vollständig identische Beschaffenheit der Leisten und Hohlkehlen, welche die Basis der beiden Steine bilden, ferner die Vergleichung der Maasse. Bei beiden beträgt die Breite der Hauptfläche

(d. i. bei der bereits bekannten Hälfte die Fläche, auf welcher sich die Inschrift befindet) 0,41 M., die Länge derselben vom Ende der darüberreichenden Leiste bis zum Beginn der ersten unten an der Basis befindlichen 0,5, die Länge der untersten und grössten Leiste der Basis 0,6. Der Peperin ist bei beiden Steinen derselbe. Diese durchgehende Uebereinstimmung kann nicht Zufall sein, sondern beweist schlagend die ursprüngliche Zusammengehörigkeit der beiden Fragmente. Die Ara war ursprünglich auf allen Seiten mit Inschriften versehen, so auch auf der Fläche, welche der mit der Turpenusinschrift gegenüberlag. Doch ist diese von moderner Hand mit dem Meissel derartig bearbeitet, dass von der Inschrift nichts zu lesen ist und lediglich noch einige Hasten von Buchstaben bemerkbar sind, von denen sich nur so viel sagen lässt, dass sie etwas kleiner sind als die der bekannten Inschrift der Gegenfläche. Man sieht deutlich, dass die Ara absichtlich gespalten und die beiden so gewonnenen Steine mit dem Meissel bearbeitet worden sind, wahrscheinlich um sie als Bausteine zu verwenden. Auch die Flächen, welche durch den Spalt entstanden sind, sind bereits an vielen Stellen bearbeitet und geglättet, so dass unter diesen Umständen eine Correspondenz der Brüche der beiden Fragmente unmöglich ist. Auch die Turpenusinschrift selbst ist durch Meisselhiebe hart mitgenommen und die Destruction ihrer rechten Seite daraus zu erklären. Am Originale selbst ist es leicht die Meisselspuren von den Hasten der Buchstaben zu unterscheiden, schwierig im Abklatsch. Ich bemerke daher, dass in der ersten Zeile die Lesart TVRPENO PAT unumstösslich feststeht. Nach dem Papierabdrucke möchte man geneigt sein, zwischen den Lesarten PΛ und M zu schwanken. Doch ist das, was man für die linke innere Hasta eines M halten könnte*), wie die Betrachtung des Originals lehrt, entschieden ein Meisselhieb, welcher die in ihrer ganzen Länge deutlich sichtbare linke Hasta des A schneidet.'

Haec igitur cum ita sint, mirum non est nihil hodie superstes esse praeter has litteras, quarum certas plene perscripsimus, mutilarum apices pro re nata supplevimus:

TVRΓENOΓATRI
CVATRON ALIN
LORCEVIV
ΓR

*) In eis quae mihi missa sunt ectypis duobus eiusmodi nihil apparet.

Turpeni dei non minus obscura nobis quam aliis memoria. — Versu 2 interposita inter N et A lacuna cum quattuor tantum aut summum quinque elementorum capax sit, praestabit Mommseni supplemento C·VATRON*ius* . . *f.* *s*ALIN*us* paullo brevius hoc C·VATRON*i* . . *f.* *s*ALIN . . . Ita enim quod iuxta positas habes plenam ORCEVIV*s* et breviatam VATRON*i* formam, id quam saepe factum sit exempla docent Indic. palaeograph. p. 115[b] a nobis composita. — Ceterum has ipsas gentes Praenestinas, cum Vatroniam tum etiam frequentiorem Orceviam, satis iam novimus ex illis titulis quorum tantam nuper multitudinem sepulcretum Praenestinum in lucem prodidit.

Huius enim sepulcreti cum post Henzenum Mommsenus I. L. A. n. 74—165 duos et nonaginta titulos composuisset, e quibus unum et sexaginta lithographi arte imitati sumus P. L. M. tab. XLV. XLVI. XLVII et XXXVI, mox quattuor novi a Cicerchia Henzenoque missi in eiusdem Mommseni Addendis p. 555 accessere. Rursus hos ei nunc septem excipiunt quos sub *C*—*J* repraesentatos intuemini: omnium ut numerus iam sit ad CIII auctus. Sunt autem hi quos infra posui.

D	CESTIA·Q·F
E	CINCIA·C·F
H	SEX·GEMINIO·SEX·F
G	L·MANICI·M·*f* vel *l*
F	L·PLAVTIO·M·F·L·N
C	SAVFEIA
J	C·TAPIO·SEX·L

In quorum lectione nihil ambiguum praeter unum *G* titulum: quem non profecto potueramus ita uti fecimus interpretari, nisi tum cum repertus est ipsum MANICI nomen legi potuisse Cicerchia testatus esset. — Ceterum e gentibus Praenestinis illis quattuor iam noveramus e ceterorum titulorum varietate: Cestiam Plautiam Saufeiam Tapiam; novae tres accedunt Cincia Geminia Manicia. Praeter L. Plautium autem unus solus in tanta multitudine exstat

qui cum patris etiam avi notam iunctam habeat: M·OPIO·M·F·L·N n. 125, sed is quidem aliquanto recentiorem aetatem aperte testans.

Quos in tab. III titulos proposuimus, quoniam uberiorem enarrationem nec requirunt nec admittunt, iuvat exspatiando ad Supplementorum fasciculos I et II paucis reverti eorumque quae illic commentati sumus aliquod

AVCTARIVM

subicere.

Et ad tab. **I A** quidem i. e. titulum Minucianum illum quod attinet, dolendus est error quidam nec mea nec aliena culpa natus, a quo cum proficiscerer, fieri perfacile potuit ut a vera via aberrarem. Nam cum Brunnii verba, quibus reperti monumenti quae condicio esset ad me rettulit, de tribus saxis interpretatus essem in unum continuitatem ita iunctis ut eis ipsa pars antica arae efficeretur, sero comperi unum solum solidumque saxum esse, in cuius lateribus potius scripta essent quae ego duobus saxis medio contiguis tribuissem. De qua ratione si mihi prius constitisset, paullo minus cupide in sinistra parte tale quiddam quaesivissem quod cum titulo principali aliquo sententiae consiliive vinculo contineretur, sed ab illo prorsus posse seiunctas esse L·I·XXVI notas facilius animum ut suspicarer induxissem. Quas notas cum non tam coniecissem quam modeste et dubitanter quaesivissem num forte liceret ad L*egiones* I et XXVI referri, non fuit difficile Mommseno id impugnare I. L. A. Add. p. 558: ubi quae contra me dicta sunt, eorum fere nihil est quod non contra me ipse dixissem vel saltem significassem, 'felicioris ingenii sagacitati libenter cessurus': quando aliquod tamen ab aliquo periculum interpretandi fieri oportebat. Sagacitatem igitur maiorem non diffitebor Mommsenianae coniecturae esse, qua L*oricae* I*nlatae* XXVI commendantur: feliciorem esse nec mihi facile persuadebo nec videtur sibi ipse persuasisse, quippe ludere se tantum exempli caussa fassus. Vt non sine aliqua confidentia in Henzeni potius sententiam concedam de numerandi

nota cogitantis simpliciter in 'Bullettino' Rom. a. 1863 p. 61 sqq., qua quidem singulis rebus sacris in ipso sacrario adservatis sui singuli loci, eo quo in indicibus ordine enumerarentur, adsignati fuerint, hoc modo: *Loco* I (*num.*) XXVI. Cuius ille notationis e reconditioris qua valet doctrinae copiis quaedam exempla exprompsit prorsus apposita ad persuasionem.

Minus quam de notis illis solitariis Henzeno assentior de ipsius Minucii dictatura commentanti, quam aliter a Mommseno atque a me definitam ibidem disceptavit p. 58 sqq. Rem omnem ut paucis complectar, duorum tantum Minuciorum optionem esse dixeram: aut M. Minucii Rufi consulis anno 533, magistri equitum anno 537, sed cui dictaturae imperium cum ipso dictatore Q. Fabio Maximo singulari prorsus exemplo esse aequatum constaret: aut alicuius M. Minucii Rufi C. f., quem dictatorem intra annorum 533—535 spatium factum, licet brevi fortasse temporis intervallo interiecto abdicantem, Plutarchus prodidisset. Vtrique coniecturae erat quod obstaret. Posteriorem ipsius dictaturae ratio aliquantum dissuadebat, ut quam rarissimo illa quidem aetate exemplo collatam esse viro non consulari intellegerem; priorem non dissuadere tantum, sed evertere illud videbatur, quod consulem Minucium omnino non Gai filium, qui est in titulo Romano, sed Luci filium Gai nepotem fasti Capitolini perhiberent. Igitur testimonii fidem cum potiorem haberem sola consuetudine quadam, non potui non in posteriore sententia subsistere, rei insolentiam quocunque modo leniens vel excusans: ad excusandum eo quidem pronior, quo luculentius exemplum non profecto levioris insolentiae illud ipsum magisterium equitum praeberet cum dictatoris imperio aequatum, cuius rei probabilitatem, nisi certissimum testimonium iuberet, nemo umquam menti suae informaturus erat. Quod contra de dictatore non consulari illo simile testimonium non suppetere mirum videri propterea non poterat, quod et per se levioris momenti ea res esset, comparata quidem cum 'magistri equitum dictatoris' novitate, et illorum ipsorum annorum 533—535 memoria in Livianis libris intercidisset.

Huic igitur ratiocinationi Henzenum miror ita obviam ire ut accuratissime a Mommseno esse demonstratum narret, ante annum quidem 434 in XXXI

dictatoribus viros consulares non plures quam sedecim fuisse, ceteros non consulares omnes: ab illo autem anno non plura quam duo, vel adnumerato Glicia scriba tria exempla non consularium suppetere: unde consequens esse ut ab annis 533—535 dictatorem non consularem procul habendum esse intellegatur. Verum enim vero recordari iuvat, quae a Mommseno esse demonstrata dicuntur, me ipsum proposuisse omnia. Quippe ipse dixeram de dictatoribus non consularibus mira incuria ab enchiridiorum nostrorum scriptoribus ita statui, quasi unum tantum alterumve exemplum eius insolentiae reperiretur: ipse dixeram magno in hoc genere hiatu ab eorum annorum, qui ante a. 434 fuerunt, consuetudine eam aetatem distare quae post a. 433 fuit: ipse, quae proportio esset consularium et non consularium dictatorum, non indiligenti ut puto computandi opera definieram. Differunt sane numeri a Mommseno positi ab eis quos ego proposueram, sed specie magis quam re differunt: quippe caussa prope omnis illius differentiae in eo cernitur quod ego, ne calidius agere viderer, eodem cum viris consularibus loco eos posse censeri largitus eram qui illa aetate, qua consules omnino nulli fuerunt, summum in re publica imperium tribuni militum consulari potestate obtinuerunt. Quos tribunos militum (sunt autem qui huc pertineant numero decem) ubi cum ipsis consulibus aequaveris — hoc enim quis vel potuisse fieri vel rationi convenienter factum esse negaverit? — manent calculi mei, si a levioribus quibusdam rebus vel suapte natura dubiis discesseris, prorsus recti atque integri, atque adeo paullo distinctius illud docent, quomodo per duas aetates, anni circiter 391 finibus discretas, certi progressus sint a paucitate ad multitudinem non consularium dictatorum facti.

Cetera quae a Mommseno mihi opposita video, quantumvis per se fructuosa ad melius perspiciendas rei publicae rationes mutationesque videantur, tamen cum eius quae cummaxime agitur quaestionis notione non sunt eo vinculo coniuncta, ut ad hanc potissimum dirimendam valeant. Nam primum quidem Livius sive accurate et e vero de *lege consularium legendorum,* quae iam a principio obtinuerit, rettulit l. II c. 18, sive posteriorum auctorum vel fraude vel errore deceptus ad antiquitatem transtulit quod recentioris demum

aetatis more increbruisset: quid id ad ipsam posteriorem aetatem iudicandam confert? Item cum ego dixissem circa annum u. c. 434 videri nova *lege* aliqua ad pristinam in creandis dictatoribus severitatem reditum esse, contra disputans Mommsenus commodius, quam de *lege*, de senati consulto cogitari sat sane probabiliter ratiocinatur: verum ut tamen ne hoc quidem ad recte existimandam non consularis hominis Minucii dictaturam ullam vim habeat: nec enim profecto huius dictaturae gravior insolentia fit, si non a lege populi, sed a senati consulto certa quae post annum 433 invaluit consuetudo repetitur. Ergo hi duo argumentandi loci cum ad res secundarias (h. e. in hac quaestione secundarias) spectent, plus ponderis videri potest illud habere, quod caussam perspici Mommsenus negat, cur illo potissimum anno 533 (sive annum 534 vel 535 substitueris) a consuetudine recederetur iam ad legis vicem prope accedente. Verum tamen in legis vicem ea consuetudo profecto iam circa annum 467 abierat, cum per temporis spatium plus quam tricenarium inter dictatores XIII nullum non consularem Roma vidisset*): et tamen non consularis eo anno ad dictaturam Q. Hortensius accessit. A quo tempore ad annum 533 cum anni circiter LXV interiecti sint, quibus non plures fuerunt omnino quam octo dictatores, maiore adeo iure hac potissimum aetate infractam vel paullatim exolescentem pristinae vim consuetudinis menti nostrae informabimus: praesertim cum summae dignitatis dictatura, quae fuit rei gerundae caussa, iam ab initio sexti saeculi nulla exstitisset. Quodsi de caussa quaeris neglectae ipsis annis 533 sq. consuetudinis, in promptu est respondere, plurimarum rerum caussas latere ubi Livii libri praesto non sint. Et ipsius Hortensii illius e non consularibus deligendi quam in aperto esse

*) Nec enim anni 441 dictator C. Poetelius C. f. C. n. Libo Visolus satis caussae video cur necessario alius credatur atque consul a. 408. (421?) 428. Nec dubitavit, alios ut taceam, Niebuhrius Hist. R. III p. 178. 343. Quodsi ita nimium inter primum consulatum et dictaturam annorum intervallum intercedere dixeris quam quod in unum hominem sat commode conveniat: at simillimum exemplum habes Cn. Fulvii Cn. f. Cn. n. Maximi Centumali consulis a. 456, dictatoris a. 491, quem tamen in non consularium dictatorum numero ne Mommsenus quidem rettulit. Et ad ipsum dictaturae munus administrandum quidni multorum annorum senex, modo non decrepitus senex, potuit imprimis aptus videri?

caussam dices? Nam quod eo tempore secessio plebis facta est, id etsi hanc vim habere potuit ut non e patriciis, sed e plebeiis dictator diceretur: at de plebe facti consules inde ab exeunte saeculo quarto minime deerant.

Haec igitur eo valere volo ut nimium fuisse Mommsenum intellegatur, qui non consularis Minucii dictaturam 'plane non admittendam' dicat. Qui quam ipse coniecturam amplectitur, eam cum plerisque longe audaciorem visum iri suspicatur, plane dicit quod equidem sentiam. Ad M. enim Minucium consulem a. 533, magistrum equitum a. 537, reversus fastos Capitolinos culpat, ut in quibus peccatum sit L·F·C·N pro eo quod esse C·F·C·N debuerit: quod si ego ausus essem, vix puto violentiae crimen effugissem. Nam quin reapse L·F scriptum esset in fastis, tum quidem cum ego scripsi dubitationi obnoxium esse prorsus non potuit, postquam eam ipsam Feae lectionem sua fide summae in hoc genere vir auctoritatis firmaverat syllogae Orellianae t. III n. 6436. Post demum coeptum est dubitari, quando iam Mommsenus (adnot. ad p. 557[b]) quaerenti sibi ab Henzeno rescriptum memorat L litterae partem inferiorem nunc desiderari totam, quod autem reliquum esset tale damnum passum, ut tam pro L quam pro M accipi posset, nisi spatium obstaret nequaquam capax secundae litterae latioris: quare tam sibi quam Rossio subsistendum esse in Feae lectione videri. Neque aliter lapidis memoriam Henzenus ipse expressit I. L. A. p. 435. Sed ut fit, famae similis suspitio vires acquirit eundo. Novo enim examine quam scrupulosissimo instituto iam Henzenus scribit (Bullett. l. s. s. p. 60) rem esse perdubiam: non audere se, cum tam gravia argumenta pro *Gai filio* Minucio Mommseniano pugnent, praefracte negare, posse fortasse olim C potius quam L scriptum fuisse: concedendum esse certis talem lectionem incommodis laborare, quae definit accuratius: sed his tamen dubitationibus fortasse non esse nimium tribuendum, cum perfectae aequabilitatis normam non ubique servet lapidum Capitolinorum scriptura. — Fideliter rettuli quae Henzenus testata fecit: unde pro se unus quisque, quid potissimum sequendum putet, arbitretur, non immemor tamen, etiamtum integriorem quam nunc est ipsum lapidem potuisse a Fea tractari. Mihi quidem de duabus rebus constat, quarum altera

ad sensum quendam veri, ad certum iudicium altera redit. Quippe de alio nisi de consule M. Minucio omnino cogitandum non esse, id quidem minimedum demonstratum esse confidenter affirmo: sentire me sic fateor, ut aliquanto plus probabilitatis habere M. Minucii C. f. non consulis dictaturam perseverem. Quamquam certam scientiam veri libenter concedo penes solos deos esse.

In eadem tabula **I** quam sub **B** repraesentavi speculi Cosani inscriptionem PROSEPNAIS, de ea ne nunc quidem, lectis quae a Mommseno Add. p. 554 diversissimam in partem scripta sunt, aliter iudico atque p. XIV iudicandum esse intellexi. Nam ille cum eam formam 'videri hybridam' dicit 'et ex genetivo Latino *Proserpinae* Graecoque Περσεφόνης quodammodo mixtam', primum idonea argumenta talis mixturae desidero, quando illorum quae sunt PESCENIAES DIANAES cum similibus, pro certo habeo longe aliam rationem esse: praeterea autem, haec ipsa ut mittam, parum assequor quid sit omnino cur confusioni, quam aliquo artificio comminiscare, simplicitatem posthabeamus quae est in propatulo. Ne longus sim in re, ut mihi quidem videtur, apertissima, breviter quaerere licebit num etiam illi genetivi, qui sunt *Latonas vias escas molas custodias Alcumenas* et praeter ceteros *familias,* ad Graecae declinationis similitudinem revocandi videantur, an e contractis *Latona-i-s familia-i-s* formis eadem ratione repetendi qua e *senatuis dieis* et parilibus prodierunt *senatus dies* genetivi? item unde nisi ex ipsis *Albaïs Longaïs* (=*Proserpinaïs*) formis factae sint *Albaï Longaï?* prorsus ut e *senatuis dieis* natae sunt *senatui diei.* — Verum de hoc genere universo suo loco dicetur explicatius, idque eo impensius quo minus probari posse ea video, quae de genetivo primae declinationis Latinae a singularis viro auctoritatis Francisco Boppio proposita sunt Grammaticae comparativae t. I p. 377 sq. 399 sq. ed. alt., rectissime meo iudicio derelicta ab Augusto Schleichero nostro in Grammaticae compar. compendiosae t. II p. 452 sqq.

In tabula **II** sub **A** propositus titulus Calenus quem in fine ostendit insolentiorem nexum litterarum, eum de MENSE INT*e*R*kalari* etiam Huebnerum interpretari e Mommseni Add. p. 559 n. 1505 cognovi. Vbi cur ipse Mommsenus ut probabiliorem hanc coniecturam commendet, ut in contignatione illa litterarum latere MENSE IANVAR dicat, caussam non satis perspicio. Id enim etsi mihi quoque primo statim aspectu in mentem venit, tamen etiam in hac caussa simplicitatem praestare artificio sensi: simplicitatem autem maiorem alterius interpretationis ipsa profecto elementorum figuratio testatur. Nam quod ad unius L. Cornelii Cinnae consulatum attinet singulariter perscriptum, qua quaeso necessitate in C. Marii locum, qui a. d. III idus Ianuarias diem supremum obiit, novum consulem L. Valerium Flaccum putabimus iam ante ineuntem mensem intercalarem vel suffectum esse vel suffectum satis innotuisse inter Calenos?

De eiusdem tabulae **II** fig. **B** i. e. de Praenestino titulo Metilii cum sum commentatus, Latii inscriptionum plurimarum negavi p. VII sat certum usum prius esse, quam illae Henzeni virtute ita omnes collectae digestae emendatae prodiissent ut in commune paterent. Id quam recte dixerim, eius ipsius quo illo loco utebar tituli exemplo iam experior, unde Praenestinorum videlicet APOLLINEM TVTELAREM meae disputationi adsciveram, non recte plus fidei Vulpio quam Gruteri auctori Vrsino tribuens, e quo ille pependit demum. Hunc enim lapidem ipse Henzenus peramicis litteris me admonuit tam suspectum esse, ut prope sine errandi periculo ad falsorum sordes relegetur. Ergo valeat *Tutelaris* ille quamquam precario tantum admissus, locumque de iure sive PVTIO Mommseniano sive alii cuilibet cedat. — Praeterea haud scio an in tam vetusto titulo, quam est Metilianus, iusto liberalior fuerim in notis admittendis quales illae sunt DE·CONL·S: pro quibus, si integrum esset, nunc tales tantum commendarem quales exempli caussa posui DE·STIPE. Quamquam vel sic aliquid dubitationis relictum esse fateor a dirempto inter duos versus VA|RIANDO vocabulo: quale discidium ab antiquioribus

titulis esse alienum solet. Quae tamen dubitatio haudquaquam eam vim habet ut cum Mommseno Add. p. 554 in litteris a Cecconio exceptis RIANDO latere posse PROBAVERO nobis persuadeamus meroque errore $\overset{T}{S}$ positum pro S.

Ceterum de sermonis Praenestini proprietate quae cum olim composui Parerg. Plaut. I p. 196 tum nuper significavi Musei Rhen. t. XVI p. 607, eis novum documentum Guilelmus Schmitzius noster addidit e glossario Vaticano quod est in Angeli Mai Class. auct. t. VI p. 547: '*taeniae, vittae sacerdotum, apud Praenestinos flagra*'. — Item novum, hac ut opportunitate utar, illud est quod indidem p. 546 idem excerpsit: '*stolones, ramuli maiores succrescentes ita dicuntur a Sabinis*': neque enim Sabinorum in hac caussa vel alibi vel apud Varronem rei rust. I, 2, 9 ulla mentio fit.

Ibidem sub C expressam pateram fictilem K. Atilii tractavit nuper, cui ipsi debebam, Detlefsenus in Gerhardii Diariis archaeol. a. 1863 n. 169 p. 13* sq. Originem autem Campanam prorsus confirmarunt Guidobaldii litterae plenae humanitatis, e quibus quae huc pertinent excerpta infra posui.

'La provenienza Campana non mi sembra più dubbia tanto pel monumento da Lei illustrato, che del Kircheriano' [P. L. M. X, H = p. 101] 'quando in un' altra terracotta col mito di Scilla pure a vernice nera con figure a rilievo da me illustrata nei Monumenti Caleni, venuta fuori dai recentissimi scavi Caleni del Novi, ho visto gl' istessi nomi, e specchiatamente vi trovo segnata la sigla K preceduta anch' essa come in quella Sua da un punto; che mi richiama al Cesone che Ella ha ricordato, e che riflettesi nel Cesone dei Falisci, di cui il Garrucci e il Detlefsen' [Bull. d. inst. 1861 p. 99]; 'e che frai Caleni dovea avere molta frequenza. Nell' ATIꓲIO del mio frammento di patera che conservo vedo pure l' ꓲ arcaica; e tal nome, se non erro, non avendo nel momento a mano l'opuscolo di Vinet sul mito di Scilla, vedesi pure in una terra cotta dal medesimo illustrata. E quel ch' è più, fra i molti frammenti di terre cotte da me osservati presso il mio amico Commend. de Martino, che conservava tutt' i monumenti provenienti di Calvi, ri-

cordo aver visto una forma per vase a rilievo con figure, ov' era a rilievo scritto il nome di Atilio . . . . . Se ora, in vista di molte terrecotte in cui un tal nome di Atilio riproducesi spesse volte, debba credersi piuttosto il padrone della figulina, non saprei dirlo francamente. In ogni caso è sempre il suolo Caleno che ne riproduce il nome e le opere; e queste sono bellissime, svariate in ogni genere, il che è ormai troppo risaputo rispetto al medesimo.'

Levius est quod in patera pictam bestiolam per errorem scorpionem dixi, quem rectius Detlefsenus cancrum. Quamquam etiam magis e vero sic illam definiri, ut in 'crustaceis decapodis brachyuris' habeatur (quod genus vernaculo nomine *Krabbe* appellitamus), doctissimus me collega zoologus comiter edocuit.

Postremo eiusdem fasciculi **II** p. XII prolatum supplementum mutilae lamellae Bononiensis mirum non est non nemini sat gravi cum mirationi tum offensioni fuisse. Non cogito nunc de Mommseni dubitationibus, quibus meam coniecturam. propositam Musei Rhen. t. XVII p. 607, impugnaverat Add. p. 561 *). Vbi quibus contra me usus est duobus argumentis, eis fateor me parum moveri. Primum enim quod exemplis destitui talem participii formationem (*facitus*) dicit, id ego quidem non mehercule ullo modo celaveram, sed eandem non destitui analogia tam diligenter ostenderam tamque propinquae *Saeturnus* formae similitudine probaveram ut, cur 'ne potuisse quidem ita

*) Ipsius interpretationi quod ego opposueram, parum intellegi ad quem illa spectarent a Mommseno commendata '*die nefastud facitud*', id aegre assequor quomodo eis exemplis diluatur quae 'quodammodo posse comparari' contendit: '*flamen, sume sarmentum*' et '*hanc aram nequis dealbet*'. Scilicet addito *flamen* et *quis* id ipsum in promptu est quod illic desiderabam. — Ceterum quibus in hac caussa verbis Mommsenus utitur: 'sed ut ea quae proposui satis habeam ita defendisse, ut esse potuerint, non ut ita omnino neque aliter fuerint', ea verba possum prorsus mea facere: nec enim nullo pacto posse locum habere Mommseni rationem pronuntiaveram, sed diffidere me illi certis caussis allatis significaveram, nec mea coniectura professus sum ita me confidere, ut necessario ita rem fuisse neque ullo modo posse aliter se habere contenderem. Prudenter autem dubitando et sine acrimonia obloquendo et modeste coniectando plus, nisi fallor, in his litteris (ut in omnibus) quam temere credendo et obsequenter assentiendo et nihil audendo proficitur.

scribi' Mommsenus contendat (vel ut ipsius verba servem, 'sibi constare' dicat), minime perspiciam: praesertim cum ipse concedat eius aetatis titulum esse, cuius praeterea paucissima ad nos pervenerint monumenta sacra, eaque vetustate alius rei insolentiam, quam cum sua interpretatione esse coniunctam sensit, aliquatenus excusari dicat. Gravius videri potest quod ad ipsum castum spectat: hunc enim, qui Graecorum inter Romanos sacrorum proprius fuerit ut Isiacorum Cererisque, non posse non offendere 'iam translatum ad quintum sextumve urbis saeculum et ad sacra Iunonis Lucinae, deae si qua alia est plane Romanae'. Et ad aetatem quidem quod attinet, miror Mommsenum eorum oblitum esse quae ipse adscripserat titulo 'litteris antiquissimis scripto' n. 811 p. 207: 'legendum fortasse *c*ERERES CA*stae*, eo magis quod *castus Cereris* non semel nominatur (cf. Fest. p. 154 v. minuitur; Arnob. 5, 16).' Ac profecto, si verum volumus fateri, a receptis libris Sibyllinis, vel ut distinctius loquar, a medio ferme saeculo tertio ad quinti sextique confinia sat magnum temporis spatium praeterlapsum erat, quo cum ipso cultu Cereris etiam Graecus ritus increbresceret: quode digna sunt quae conferantur composita a Marquardto testimonia Antiq. Rom. enchirid. t. IV p. 309 sq. Quid? quod ipsum ieiunium iam antiquissimis sacris Cereris certis verbis Dionysius Archaeol. I c. 33 tribuit: *ἱδρύσαντο δὲ καὶ Δήμητρος ἱερὸν καὶ τὰς θυσίας αὐτῇ διὰ γυναικῶν τε καὶ νηφαλίους ἔθυσαν ὡς Ἕλλησι νόμος, ὧν οὐδὲν ὁ καθ' ἡμᾶς ἤλλαξε χρόνος*: qui etsi de templi vetustate somniat sane, tamen ipsum ritum a recentioris demum aetatis cogitatione aperte segregat. Nam quod anno u. c. 563 'ieiunium instituendum Cereri esse et id quinto quoque anno servandum' decemviri sacris faciundis renuntiarunt teste Livio XXXVI, 37, id cum de certis sacris quinquennalibus interpretandum sit, nec privatum ieiunii usum ac ne publicum quidem multo antiquiorem excludit. — Ac tantum quidem de castu Cereris. Qualem castum etiam ad Iunonem Lucinam translatum esse scriptor sane nullus prodidit, sed monumentorum genus testari videbatur, quod tot exemplorum multitudine vicarium scriptorum experti sumus insigni horum studiorum beneficio h. e. epigraphicum. Absque quo esset, quot quaeso res et scitu et creditu dignissimas ignoraremus? In quo

genere concedendum est eandem, quam in omnibus, legem valere, ut ne quid audeat coniectura quod vel ratio vel consuetudo vel ut uno verbo dicam analogia sive reprobet sive dissuadeat. Quid autem? intra trium ferme saeculorum decursum nonne a Graecanicis ad patrios deos alii quoque ritus peregrini translati sunt? an lectisternia et supplicationes domi nati ritus fuerunt? quae tamen genera constat paullatim in communem cultum etiam 'propriorum' deorum Romanorum abiisse: de quo vide eundem Marquardtum disputantem l. s. s. p. 52 sqq. Quae quidem mutationes per quae et temporum intervalla et quas rerum varietates creverint, tam in obscuro est ut non sit mirandum de re minoris momenti et quae latius diffusa longeque patens fortasse numquam fuit, sed privati potissimum usus artioribus finibus circumscripta, qualis est ieiunii ritus, nihil admodum a scriptoribus proditum esse memoriae.

De his igitur dubitationibus non cogitabam cum supra dicebam lamellae Bononiensis supplementum Garruccianum, quod est tale

IVNONE·LOVCINAI
DIOVIS·CASTVD·FACITVD

non nemini non mirationi tantum, sed offensioni fuisse: possum addere et suspitioni. Nam profecto multo etiam maiore intervallo, quam a Cerere Iuno Lucina, ab eadem ipsius Iovis numen distare videbitur. Nihil saltem ad ieiunium Iovis probandum Horatii verbis efficies Serm. II, 3, 291: 'Iuppiter ... illo mane die, quo tu indicis ieiunia, nudus in Tiberi stabit.' Quae sive ad Iudaeorum Iovem referes cum multitudine interpretum, sive spectare ad Aegyptium ritum putabis, quod habet quo commendetur praeter cetera, at vix ullis machinis de Romanorum Iove Capitolino esse dicta persuadebis. Novum est igitur et solitarium nec commodo vinculo cum simili genere coniunctum, quod addiscendum nobis sit ex incertae originis supplemento Garrucciano. Sane quidem *γηράσκομεν αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενοι,* nec ea potissimum pars antiquitatis Romanae, quae ad religiones et ius sacrum pertinet, non permulta habet vel obscura nobis vel occulta, quorum vel praeter exspecta-

tionem aliquo fortunae beneficio perspiciendorum spes sit: sed eo tamen intentius illuc esse incumbendum apparet, ut quam fieri possit certissime de fide testimonii constet. E Garruccio igitur, quid tandem huius rei esset, identidem sciscitatus litteras accepi conditas suavitate, quibus me certiorem fecit non alibi plenum exemplum illud mutilae nunc lamellae (quod ego e schedis ms. alicuius bibliothecae petitum conieceram) nisi in suis ipsius copiis epigraphicis servari: quod unde prodierit et ad se qua via pervenerit, non satis accurate se nunc, plurimorum annorum intervallo interiecto, recordari, sed diligenter curaturum ut resciscat; de fide vel propter figuras litterarum prorsus ad morem antiquitatis factas nihil esse dubitationis posse, nedum ut ea fingi a quoquam potuerint vel videri possint ficta esse, quae in postica parte deperditi nunc aeris inscripta sint. Haec enim esse talia narrat:



Ex his miseris vocabulorum reliquiis non fuerit difficile v. 8 eruere *s*ACRO, v. 9 . . . BOS dativum ablativumve, v. 10 *a*IDIL . . . Versu autem 6 positam Ϙ figuram prorsus Graecam etsi paullo citius Mommsenus dixit nullo dum exemplo Latino observatam esse, tamen praeter speculum Berolinense tab. I F, in quo est MIRϘVRIOS scriptum, tertium exemplum revera nondum innotuit. — Ceterum de hac tabella quaestionem omnem apparet ampliandam esse et exspectandum si quid ad dispellendas tenebras, quibus origo monumenti obvolvitur, scrutando inquirendoque efficiatur.

Quoniam in corrigendis supplendisque eis versor quae prius proposita sunt, libet hac opportunitate uti ad dubitationes quasdam certo iudicio tollendas quae ad elogia Scipionum spectant. Quae cum ego in P. L. M. tabulis XXXVII—XLII quanta possem fide ad ectypa chartacea quae tum

in promptu erant expressissem, non neglectis quae de singulis quibusdam rebus sciscitanti mihi Brunnius Henzenusque respondissent, aliquot tamen annis interiectis postquam per exercitationum epigraphicarum occasiones academicas illa ipsa ectypa multorum manibus tractata atque aliqua ex parte detrita sunt, pauca quaedam vel mihi vel adulescentibus meis paullo aliter legenda esse visa sunt atque ab initio factum esset. De talibus igitur cum intellexissem breviter monendum esse in Enarrationis supplementis p. 104, fieri non potuit quin eadem mea fide interposita Mommsenus iteraret Add. p. 553. Quae omnia etsi per se levia videri possunt, tamen quoniam in his potissimum Scipionum monumentis, si verum volumus fateri, reapse nihil leve est, nequid scrupuli relinqueretur sed in dubiae coniecturae locum certa scientia succederet, precibus meis Wolfgangum Helbigium, cuius iam supra honorificam mentionem feci, haud aegre permovi ut denuo lapidibus illis religiosissime mea caussa examinatis, quid tandem in eis revera scriptum exstaret, tam diligenter definiret ut nunc tandem nullus iam videatur dubitationi locus relictus. Qua in caussa illud laetari licet quod singulis locis id ipsum, quod esse verum intellectum est, in ipsis tabulis lithographis conspicitur, vanas esse quae post natae sunt vel dubitationes vel suspitiones omnes apparuit. Quod ut aliis quoque prorsus persuadeatur, ipsas litteras Helbigianas infra ponendas duxi.

'Endlich bin ich im Stande gewesen, den mir ertheilten Auftrag betreffs der Scipioneninschriften auszuführen. Da zwei der Inschriften, über welche Sie Auskunft verlangten, in beträchtlicher Höhe eingemauert sind und keine der im Arsenale des vatikanischen Museums befindlichen Leitern die hinreichende Länge hatte, dauerte es lange, bis die zum Hinaufsteigen nöthige Erlaubniss und Leiter geliefert wurden. — Was die von Ihnen gestellten Fragen betrifft, so scheint mir nach der von mir vorgenommenen genauen Prüfung die alte Lesung, wie sie auf Ihren Tafeln erscheint, allenthalben endgültig festzustehen. Allerdings befindet sich an allen fünf Stellen, über die Sie anfragen, irgendwelche Vertiefung im Steine, so dass die Betrachtung der Papierabdrücke sehr wohl zu der Vermuthung führen kann, es habe ursprünglich ein Buchstabe dagestanden. Doch lehrt die Besichtigung der Inschriften selbst, dass

jene Einschnitte nicht tief, scharf und regelmässig genug sind, um für Reste von Buchstaben gehalten zu werden, dass sie vielmehr theils von zufälliger Verletzung des Steins, theils von der technischen Bearbeitung desselben herrühren. Die Blöcke der Scipioneninschriften müssen nämlich mit einer Art von Zahnmeissel bearbeitet sein, welcher an den Stellen, wo er vom Steinhauer eingesetzt wurde, tiefer in den Stein eingriff, als auf der Strecke, auf welcher er an dem Steine herabglitt. Im Einzelnen ergibt sich Folgendes.

Taf. 39 F, Z. 7 GREMIV oder GREMIVM? Hinter V findet sich eine kleine Vertiefung im Steine, welche vermuthlich vom Ansetzen des Meissels herrührt, etwa so: GREMIV'. Bis zum Rande des Steins liegt aber ein drei Finger breiter vollständig glatter Raum vor, wiewohl ich denselben erst durch Abkratzung des darübergeschmierten Mörtels blosgelegt habe. Wäre auf V ein M gefolgt, so müssten auf der blosgelegten Stelle irgendwelche noch so geringe Spuren davon übrig sein, was nicht der Fall ist.

Taf. 40 G, Z. 6 ANTIOCO oder ANTIOCOM? Anfangs glaubte auch ich bei Betrachtuug des Steins, dass letztere Lesung die allein richtige sei. Hinter dem O nämlich ist der Stein bis zum Rande bestossen. Der Bruch nach dem O ist auffällig scharf geschnitten, so dass man wohl vermuthen könnte, er sei durch den Einschnitt der linken hasta des M begrenzt. Doch steht dem der Umstand entgegen, dass, wenn M dagestanden hätte, ein Stück der linken hasta unter dem Bruche sichtbar sein müsste, was nicht der Fall ist.

Taf. 40 H, Z. 3 ANNORV oder ANNORVM? Hinter dem V ist eine Scharte im Stein, welche auf dem Papierabdruck allerdings aussehen muss wie eine hasta des M. Das Ganze hat etwa dieses Ansehen: ANNORV/. Der Strich hinter V ist jedoch nicht grade und nicht tief genug, um für einen Rest des M gehalten zu werden. Ausserdem müssten wir, wenn wir ihn dafür nähmen, ein so breitgesperrtes M annehmen, wie es die sonstige Gestalt des Buchstaben auf dieser Inschrift verbietet. Endlich haben wir hinter V bis zum Rande des Steines, abgesehen von jener Scharte, eine vier Finger breite durchweg glatte Fläche.

Taf. 40 J, Z. 2 ADVEIXEI oder ADVEIXEIT? Hinter dem I sind einige Punkte bemerkbar, etwa so: ADVEIXEI⁞. Doch stehen sie dem I zu nahe und sind nicht tief genug, um für die Reste eines T gelten zu können.

Taf. 42 L, Z. 4 ist es ebenfalls nur falscher Schein, dass ACCVM*u*-*l*AVEI gestanden habe. Allerdings sind hinter dem I einige ziemlich starke Vertiefungen in der Richtung eines Perpendicularstrichs bemerkbar, etwa in dieser Weise: AVI⁼. Doch setzen sie nicht an den Stellen ein, wo man die Querstriche des E anzunehmen hätte; auch ist vom I, welches nach dem E folgen sollte, keine Spur zu sehen, vielmehr die Fläche des Steines auch hier vollständig glatt.'

In eisdem Scipionum elogiis etiam alia sunt ad veram lectionem archetyporum redeuntia, quae sat recte expedita esse negem. E quibus unum nunc exemplum deligam, pertinens id ad tab. XLII, L: ubi cum in carminis versu altero longo ex tempore constanter editum esset PROGENIEMGENVI, ego Musei Rhen. t. IX p. 6 observaveram non hoc potius quam PROGENIEMIGENVI in lapide scriptum esse, interpositam autem lineolam, quae I litterae speciem prae se fert, non esse aliunde nisi ex errore lapicidae repetendam. Contra visum est Mommseno, qui I. L. A. p. 21 n. 38 illa ipsa lectione suscepta culpam a lapidario remotam in poetam transtulit hoc constituto versiculo:

Prōgĕnĭē mi genui, facta patris petiei:

h. e. *progenie(m)*. Talem igitur pentametrum cum ab ullo umquam vel mediocri poeta factum negavero, vix esse verendum videtur ne in cuiusquam reprehensionem incurram. Neque ipse, nisi fallor, Mommsenus umquam probasset, nisi sibi imponi a Lachmanno passus esset, a quo 'rarissimum hoc et antiquiorum poetarum proprium συνεκφωνήσεως genus, in quo *i* vocalis ita delitescat ut syllabam non faciat longam', demonstratum dicit commentariorum Lucretianorum p. 129 sq. Eam autem doctrinam, qualem quidem illic latius patentem proposuit, cui praeter ipsum Lachmannum placuisse dicam, novi neminem: atque in Plauti potissimum Terentiique artem quo quis acriore studio sese insinuaverit, eo fere certius sibi persuadere video non esse illis poetis ullo pacto tam deformes scabrosque versus tribuendos quales miro et singulari, non mehercule (quo plerumque valet) sano et eleganti aurium iudicio Lachmannus probavit:

Neque méndacíloquius néque adeo árgutúm magis:
Libérius vivéndi fuít potéstas. nam ántea:
Di tíbi malé faciant. prímus ésses mémoriter:

ut in paucis nunc subsistam. Quales numeri innumeri dubitari prorsus non potest quin aut manifestae corruptelae vel interpolationi debeantur aut longe aliam expediendi viam habeant: velut, ut ex hoc genere unum exemplum tamquam praeteriens perstringam, *malfacere* et *benfacere* et *benficium* et *malficium* mihi constat eadem prorsus ratione pronuntiata esse qua est *Benventum* prisca aetate et dictum et scriptum cum aliis non paucis finitimis. Tantum affirmare confidenter possum, illa via si insistere liceat, nihil tam inconcinnum et expers artis, immo tam insolens nihil atque adeo prodigiosum esse, quod non spondeam aliquot exemplorum raritate me probaturum ut licitum olim et admissum: si modo hoc est probare, plus quam rationis severitati et sensui cuidam simplicitatis tribuere librariorum auctoritati et memoriae codicum, cui quamdiu mancipata fuit, omnino sapere non coepit disciplina metrorum. — Verum esto ut paeonicae mensurae vocabulum, quale est *liberius* Terentianum, pro dactylo fuerit veteribus poetis: at eo saltem Lachmannus, ut conicio, ipse non praevidit doctrinam suam valituram ut etiam choriambus (e. c. quattuor syllabae primae *liberio|ris* formae) posse dactyli vices sustinere crederetur. Non autem aliud facere intellegitis, qui pro dactylo esse *progenie(m)* crediderit. — Ceterum recte et usitate *progeniem genui* sine *mihi* dativo dici non est quod probem pluribus.

Alia quae in promptu sunt huc pertinentia praestabit in proximam prooemiandi opportunitatem differre.

BONNAE FORMIS CAROLI GEORGI.

INDEX SCHOLARVM

QVAE

SVMMIS AVSPICIIS

REGIS AVGVSTISSIMI

G V I L E L M I

IN

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

PER MENSES AESTIVOS A. CIƆIƆCCCLXIV

A DIE XI. M. APRILIS

PVBLICE PRIVATIMQVE HABEBVNTVR

PRAECEDIT

PRISCAE LATINITATIS EPIGRAPHICAE SVPPLEMENTVM IV

BONNAE

FORMIS CAROLI GEORGI

A

LIA · Q · F · GAB
M · SEXTILIVS · M · L · HER
M · BAEBIVS · M · L · PA
AMEIC

1/5

B

L · CORNELIO
CINNA COS ITER
PVR
PVRGATVM
MENSE IVR

1/5

C

PILODAMVS
IVNI
SP · A · D · V · IIDIA
P · LENCN ORE

D

ANTIOCVS
SCRIBONI
SP · A · D · V · ID · IAN

E

HILARIO
CAECILI
SP · III · K · NOV
M · P · C · VIIII · T · TAV

RECTOR ET SENATVS

VNIVERSITATIS FRIDERICIAE GVILELMIAE RHENANAE

CIVIBVS

S.

E basilica quae Romae est S. Pauli iunctoque illi coenobio cum alii tituli prodierunt ad priscam Latinitatem pertinentes, quos habes in C. I. L. t. I n. 1019. 1022. 1056, tum eiusdem generis unus aut latuit adhuc aut saltem in sylloge Mommseniana non minus desideratur quam in N. M. Nicolai libro a. 1815 Romae edito quem 'Della basilica di S. Paolo' inscripsit. Eum igitur titulum cum chartis expressum Henricus Brunnius noster Bonnam misisset, haud inutiliter ille lithographo exemplo repraesentari visus est in horum Supplementorum tabula IV sub *A*. Nam in vetustiorum illum numero haberi cum ipsa species litterarum iubet, haudquaquam illa indolem aetatis Augusteae prae se ferens, quamquam ceteroqui minime sane inelegans, tum eandem in partem etiam certius antiquitatis indicium valet quod cernitur in AMEIC . . scriptura. Habetque ea scriptura adeo alterum exemplum in versu primo: quando ectypi chartacei diligens observatio litteram paenultimam certo docet B fuisse, quam aut E aut L secuta sit. Iam quoniam *GABL* elementorum consociatio Latinum nomen quod sciamus nullum suppeditat, reliquum est ut a GABE incipere nomen mulieris intellegatur. Vnde non alia prodeunt nisi haec mutilarum litterarum supplementa:

. . . L I A · Q · F · G A B E . . .
M · S E X T I L I V S · M · L · H E R
M · B A E B I V S · M · L · P A M
A M E I C

Hinc autem consequens est ut in exitu versus primi vix potuerit alii nomini locus esse nisi ei quod est GABEINA. Ei igitur . . . *liae Q. f. Gabinae* in prom-

ptu est hoc monumentum posuisse *M. Sextilium M. l. Hermam* vel *Hermetem* (sive *Hermiam* males vel *Hermippum Hermocratem Heracleonem Heraclitum Herodotum* et si qua sunt similia) et *M. Baebium M. l. Pamphilum* (sive *Pammachus* placebit) *amicos*.

Illam autem EI diphthongum, quae GABE*ina* et AMEIC*ei* vocabulorum communis est, cum gravi esse eorum temporum argumento diximus quae fuerunt liberae rei publicae, id quam vim habeat paullo accuratius esse definiendum intellegimus. Ac primum satis constat diutius illam in terminatione vocabulorum haesisse, citius a syllabis mediis arceri coeptam esse. Sed ne terminationum quidem una eademque ratio: nec enim vel in formis verbalibus vel in ipsorum nominum genetivo dativoque singulari nominativoque plurali imperatorum aetas diphthongum nisi raris exemplis servavit, substitit fere in unis dativis ablativisque pluralibus, quamquam ne hic quidem vel cum aliqua constantia vel, si a longe paucissimis dubiisve discesseris, ultra tempora Caesaris Augusti. Itaque ipsa Augustea aetate perrara sunt et ex parte singularia, qualium in vetustioribus titulis non exigua frequentia, velut haec*): temporis anno 731 prioris PTOLEMAIEI (si modo satis huic lectioni fidei) Orell.-Henz. n. 5311; item anni 741 MERENTEI Or. 2864: — quo accedit antiquitatis consuetudine propagata scriptura PLEBEI temporis anno 834 posterioris Or. 748. Aliquanto saepius, non saepe, diphthongum dativi ablativique plurales tuentur: non illi quidem in nobilissimis, quae maiore ambitu sunt, monumentis publicis plerisque Augusteae aetatis ut in edicto Venafrano, 'monumento Ancyrano' et similibus, in quibus quam creber I longae usus, tam ab eisdem aliena esse EI diphthongus solet: sed tamen in ignobilioribus haud ita paucis, quorum exempla quaedam notabiliora infra posui. Sic anni 727 arcus triumphalis Ariminensis Or.-Henz. 5360 scriptum

---

*) Incertum esse video in anni c. 772 senatus consulto Or.-Henz. 5382 II, 14 FIERE⁝ scripturam: ubi non minore iure fuisse FIERE⁝N suspicere. — Ceterum sciendum est certissimo nos consilio in eis has disputationes titulis continere qui certam vel anni vel saltem aetatis notam habent: qui fines nisi, ut hodie res est, pertinacius observantur, verendum videtur ne omnia susque deque habeantur, certa autem et distincta scientia prorsus eludatur.

exhibet CELEBERRIMEIS · ITALIAE · VIEIS · . . . *tradi*TEIS; — anno 732 posterior titulus Atinensis I. R. N. 4545 SACREIS · FACIVNDIS; — anni 742 Cortonensis apud Marinium Fratr. Arval. p. 782 EVMQVE · ET · POSTEREIS · EIVS · SIBI · POSTERISQVE · SVEIS; — anni 749 Aquilanus Or. 1639 LYMPHEIS; — item anni 757 'cenotaphium Pisanum' Or. 643, semel in tanta multitudine, II, 9. 10 DEVICTEIS · AVT · IN · FIDEM · RECEPTIS · BELLICOSISSIMIS · AC · MAXSIMIS · GENTIBVS (sic enim ibi scriptum exstat); — obitu Augusti prior Ephesius Or. 1949 (coll. Henz. p. 167) CETEREISQVE · LEIBEREIS · SVEIS: — quo adde multo posterioris anni 854 tamquam solitariam scripturam CIRCEIS e tabula alimentaria Baebianorum (I. R. N. 1354) II, 12, nisi quidem ibi de *circeus* nominativo quispiam cogitabit. Accedunt his omnibus peculiari consilio in indicibus triumphalibus Capitolinis, qui ~~ante~~ annum 735 litteris mandati sunt, constantissime servati ablativi in EIS exeuntes: DE · ETRVSCEIS (bis ETRVSCIS), DE · SABINEIS, DE · VOLSCEIS, DE · AEQVEIS, HERNICEIS, GALLEIS et quae sunt reliqua innumerabilia, in quibus ne semel quidem simplex IS scriptura apparet: id quod ex apertissima imitatione antiquitatis repetendum. Quod contra eadem EI diphthongo prorsus carent fasti consulares. — Ex his igitur omnibus capi coniectura potest, cui fere aetati in parietibus Pompeianis inscripti tituli tales tribuendi sint qualis est apud Garruccium tab. XI fig. 4 has formas socians VEREI BONEI SEI, vel XXVI fig. 44 ubi VTREISQVE et VEIVANT scriptum est. Sed hoc quod ultimum posuimus exemplo iam traducimur ad alterum genus quod exclusa declinatione ad ipsas stirpes vocabulorum syllabasque derivativas spectat.

In eo igitur genere primum quaedam nomina gentilicia, sed ea pauca, diphthongum etiam per imperatorum tempora tenacius servarunt, TEIDIVS potissimum et VEIDIVS: quibus nescio an VEITENNIVS addendus sit e Romano lapide Or. 1588 anni 804. Parilemque a propriorum nominum tenacitate veniam habere talia videbuntur satis solitaria, qualia sunt PEICENTIBVS in actis triumphorum Capitolinis a. CDXXCV: — EILLVRICO in triumphorum tabulis Barberinianis C. I. L. t. I p. 478: — LEIBER in Lambaesitano titulo Or.-Henz. 5716, rectius nunc edito in Leonis Renieri 'Inscriptions Romaines

de l'Algérie' n. 157. Participant cum propriis nominibus similem tamquam recordationem antiquitatis quaedam appellativa ut EIDVS EIDIBVS, item HEIC (*situs est*), et siqua sunt finitima formulae notaeve constantiam tutantia. Memorabile igitur praeter cetera EI scripturae exemplum habes in anni 746 titulo Segusino Or. 626, in quo bis scriptum est CEIVITATIVM CEIVITATES. — Sed haec tamen omnia, quantumvis pauca numero, ad radices vocabulorum pertinent: in derivativis syllabis vix ullum imperatoriae aetatis exemplum novimus diphthongi (quamquam in tali caussa fallere vel summa industria potest:) h. e. nullum tale qualia vetustiores tituli velut haec praebent ad AMEIC*ei* et GABEI*na* scripturam proxime accedentia: AMEICORVM in anni 676 S. C. de Asclepiade C. I. L. t. I n. 203 (P. L. M. tab. XXX) v. 7; — AMEICEIS in Romano titulo II, 5 ib. n. 1008 Venusinoque n. 1267 (tab. LXXX *A*); — AMEICITIAM in anni 643 lege agraria ib. p. 84 v. 75. 80; — item CISALPEINA in anni 705 lege Rubria n. 205 (tab. XXXII) I, 7 et II, 3. 54; — PEREGREINOS ibid. I, 24; — TARENTEINVS in satis antiquo titulo Praenestino n. 1134: — quo prope accedit DISCIPLEINAM scriptura in elogio 'litteris saeculi Augusti' scripto ibid. Add. p. 564.

Haec igitur sunt, cur priscae, non imperatoriae Latinitati hunc, quem sub *A* repraesentavimus, titulum Romanum sat confidenter tribuamus.

Altero loco quem sub *B* repraesentavimus, non est novus titulus, sed Calenus ille quem iam in fasciculo II sub *A* e tabula chalcographa repetieramus quae est in 'Bullettino' archaeologico Italico vol. I anni 1861. Eum cur hic iteremus, caussa non est alia quam quod illic multo quam credi potuit neglegentius et praeter veritatem editus est, nunc autem, postquam in museum Neapolitanum transiit, ad accuratissimum exemplum adsimilatus quod praeclaro studio eximiaeque benevolentiae Iulii Minervinii debetur. Et illud quidem non est quod morosius culpemus, quod extremae litterae duae CORNELIO nominis a tabula Neapolitana prorsus absunt: eae enim ipsius demum Minervinii opera et cura effectum est ut e situ et tenebris quibus ob-

tectae erant in lucem prodierint. Minus condonari possunt neglectae versus tertii initio PVR litterae: quas in propatulo est ab ipso pictore opifice derelictas esse, ut quas sentiret per imprudentiam superiori versui nimis appropinquatas. Prorsus autem excedere veniam illud apparet quod duos versus extremos chalcographus Neapolitanus in unius versus continuitatem productos exhibuit: nihil ut de suppletis, quae in ipso muro mutilae sunt, litteris versus novissimi dicamus. His autem, quae dubitationem non habent, supplementis susceptis haec iam totius tituli species prodit:

L · C O R N E L I O
C I N N A C O S ITER
PVR
P V R G A T V M
M E N S E · I N R

Ceterum in ipsam interpretationem fatendum est nihil novi ex his emendationibus redundare. Quamquam ne desiderari quidem quicquam ad commodum certumque intellectum satis iam fasc. III p. XIII disputatum est, ubi veram lectionem firmavimus quae est MENSE · INT*e*R*kalari*.

Tertio loco tres licuit tesseras gladiatorias promere, quarum eae quae sub *C* et *E* conlocatae sunt in tabula nostra lithographa, lucem quod sciamus nondum viderunt, tertia *D*, quae est musei Britannici, ex parte tantum innotuit Osanni virtute in Fleckeiseni Annal. philol. t. LXXVII a. 1858 p. 651, quem non potuit non sequi Mommsenus C. I. L. t. I p. 200 n. 775. Ea igitur uno nunc versu integrior prodit in hanc speciem:

A N T I O C V S
S C R I B O N I
SΓ · A · D · V · ID · IAN

Quartum enim tesserae latus praeter exspectationem vacuum scriptura, valde id quidem singulari exemplo, apparuit in exemplo gummeo (*kautschuk* ho-

die appellant), quod intercedente vetere atque antiquo amico Waltero Perry magnae vir auctoritatis Guilelmus Forsyth, qui Britanniarum Reginae a consiliis est, mea gratia a curatoribus musei liberaliter sibi concessum nactus est. Et consimile quidem exemplum omissorum consulum exstat sane, quamquam unum in tanta tesserarum multitudine: quod est Guascanum illud, publicatum in 'Musei Capitolini ant. inscr.' (Romae editis a. 1775 sq.) vol. II p. 67:

DIOCLES · VECILI
SPECTAVIT
A · D · V · K · FEBR

Verum ea tessera, quamquam Borghesio quidem, quod mirere, non suspecta Diarii Arcad. t. LIV p. 67 (vel Operum vol. II p. 338 editionis Parisinae), dubitari prorsus non potest quin sit novicia fraude et eis quidem temporibus conficta quibus usitatam SP notam imperiti quidam antiquarii in mentem induxerunt non SPECTATVS interpretari sed SPECTAVIT satis inepte: quapropter rectissime in falsarum numerum Mommsenus rettulit p. 200*e*. Ergo hoc saltem exemplo non licet, quod Borghesio placuit, probare: factum esse nonnumquam ut non suo tempore, sed aliquanto post demum pararentur inscriberenturve vel saltem supplerentur tesserae, sive in caussa mera oblivio fuit sive deficientibus omnino ipso editi spectaculi tempore, quorum nomina scriberentur, consulibus. Qua ille coniectura usus Heinsianae tesserae patrocinium suscepit quae haec est C. I. L. p. 197 n. 733:

PILODAMVS
IVLI
SP · A · D · III . K · FEB
M · VAL · CN · DO

Consules enim anni 701 M. Valerium Messallam Cn. Domitium Calvinum cum Cassio Dione XL, 17 et 45 Appianoque b. civ. 19 testibus constaret mense demum Quinctili munus capessivisse, fidem huic tesserae omnino derogaverat

Clemens Cardinalis: in qua is sententia etiam post Borghesii disputationem perstitit Diplomatum imp. p. 123 sq. n. 220. Nec sane plus valet eandem in partem prolatum a Borghesio alterum documentum, quod ille e tessera Parmensi h. e. prope Parmam reperta petiit (l. s. s. p. 196 n. 731):

PELOPS
PETILI
SP · ME · QVI
CN · LE · L · PHIL · COS

Id enim exemplum etsi aliquam vim habere eo tempore videri poterat quo commentabatur Borghesius i. e. anno 1831, tamen post repertis aliis tesseris duabus plane intellectum est diei omissionem, qua ille ad suam coniecturam firmandam utebatur, omnino communem esse municipalium vel provincialium omnium. Cuius rei cum Mutinensis illa argumento est a Cavedonio publicata (l. s. s. p. 197 n. 743, P. L. M. tab. III *m*):

LEPIDVS · MVMME
IA/ S · SP
M · IVN
C · SENTIO · COS

tum nuper demum a Mommseno p. 201 n. 776 *a* e codice Leidensi in lucem protracta Arelatensis

A/CHIAL · SIRTI · L · S
SPECTAT · NW
MENSE · FEBR
M · TV · C · A/T · COS

Verum haec tamen omnia non impediunt quominus per se spectata Borghesii coniectura, quatenus quidem ad consularis potestatis intermissionem pertinet, et stet rectissime et gravem a nostra tessera Londinensi commendationem accipiat. Sed progredimur longius eidemque hanc ipsam anno tribuimus quem Heinsianae sua interpretatione Borghesius vindicavit. Nec enim

illius quidem in qua versamur aetatis alius annus in promptu est, qui omissorum a. d. V. Id. Ian. consulum tam certam contestatamque caussam praebeat quam qui est ab u. c. 701, qui per sex menses integros consules omnino nullos vidit: unde fieri omnino non potuit quin aut post mensem demum Iunium consulum nomina adderentur ut in Heinsiana tessera, aut eis nominibus destinatum latus tesserae *ἄγραφον* maneret ut in Londinensi. — Ceterum nihil huc pertinet quod trium tantum laterum inscriptionem habens etiam alia tessera exstat quam talem Mommsenus finxit p. 197 n. 735:

HERMIA

SP·A·D·XV·K·DEC

Q·FVF·P·VAT

sed cuius non minore iure menti tuae hanc speciem informabis:

HERMIA

SP·A·D·XV·K·DEC

Q·FVF·P·VAT

quando in neutram partem quicquam eis testimoniis decernitur quibus huius tesserae notitia omnis debetur, Bimardi de la Bastie in Commentariis academiae inscr. Francogallicae t. XV (a. 1743) p. 426 et Millini in Itinerarii Franc. meridional. t. II (a. 1807) p. 236. Neque enim omissum domini nomen aliam nostra sententia caussam habet quam quod Hermia omnino non fuit e privatis mancipiis, sed servus publicus.

Duodeviginti annis antiquiorem aetatem ea tessera testatur, quam adhuc non editam sub *C* exhibuimus:

PILODAMVS
IVNI
SP A D VI ID IA
P LEN CN ORE

h. e. P. Cornelio Lentulo Cn. Aufidio Oresta consulibus a. 683: cuius anni unam iam noveramus Victorianam a Cardinale vulgatam (C. I. L. t. I p. 196 n. 720)

PILOTIMVS
HOSTILI
SP · PR · N · SEX
P · LEN · CN · ORE

Possidet autem priorem illam vir nobilissimus Brunet de Presle Parisinus, a quo acceptam eximia comitate meum in usum illius conlega clarissimus Aemilius Egger ectypo chartaceo expressit. Quam ubi non esse eburneam osseamve, sed aeream narravero, facile praevideo quam id sit plerisque suspitiosum visurum. De una adhuc aerea constabat quae est thesauri nummarii Parisini cum bibliotheca coniuncti, ad verum repraesentata P. L. M. tab. XCVII sub *H* (C. I. L. t. I Add. p. 560):

D · IVNIVS
HERMETVS
SPECT · K · MAR
M LEPID Q CAT

de qua sic commentabar Enarr. p. 90: 'Dubitari vix potest quin non sit ex antiquitate prodita, sed novicio artificio tribuenda, ut quae ne ossea quidem sit vel eburnea, verum uno solo in ceteris omnibus exemplo aerea. Quamquam fieri potest ut vetus archetypum osseum sive falsarius sive ludibundus faber imitatus sit.' Et hanc quidem defendendi viam ut ab Hermeti tessera gravissimis de caussis esse alienam nunc intellego, ita apprime cadere in Preslianam confidenter affirmo. Primum enim huic adnexa in museo Presliano

nota chirographa testatur *exemplum esse archetypi ab abbate Carolo Philippo Campion de Tersan possessi* (de quo non ignobili antiquario vide 'Biographiae universalis' t. XLV p. 195): quod archetypum quid impedit quominus osseum fuisse credamus? Sed etiam maiorem fidem facit ipsa tesserae inscriptio, quae cum in singulis rebus quibusque certam normam constantemque consuetudinem harum tesserarum servet severissime, ne levissimam quidem ab ulla parte offendendi diffidendique caussam praebet: contra atque usu venire in falsis vel suspectis ad unam omnibus solet. Nam quod illa caret interpunctione, id ei prorsus commune est cum Londinensi, olim Liverpoliensi C. I. L. p. 196 n. 723, cuius talem speciem ectypum gummeum praestat:

HERACLEO
MVCI
SП K QVIN
CN POM M CR

item prope commune cum Parisina, quam vir clarissimus Noel des Vergers possidet, P. L. M. tab. XCVII *m* (C. I. L. p. 200 n. 774):

M Λ X I M V S
V Λ L E R I
SP ID IΛN
T · CΛES · ΛVG F III ΛELIΛN II

nihil ut de Romana dicamus (l. s. s. p. 197 n. 742), de cuius vera specie chalcographo tantum exemplo Dion. Ott. Sadae constat, cui non nimium fidei tribuendum:

FELIX
MVNDICI
SP K APR
C · SENTIO

Nec magis in eo haerendum quod mixtis П et P figuris (quarum prior notabili in his tesseris frequentia est) variatum est in PILODAMVS atque SП

et Π · LEN. Quippe eadem inconstantia in Heracleonis tessera scriptum est SΠ et POM, in Vaticana p. 196 n. 729 ΠROCILI et PHILARGVRV, SP, AP: (nam in hoc genere mirum non est typis expressa exempla fallere omnia:) item in Medicea p. 197 n. 732

TEOΠROPV
FABI
SP·A·D·VII·K·OC
L·DOM·AP

sic enim hanc prorsus ad veritatem repraesentaveramus P. L. M. tab. III *K*, hoc est sine eis supplementis quae Ioannem Labum incautius secutus praeter veritatem Mommsenus addidit.

Non iniucundam fore tertiae tesserae *E* notitiam suspicamur, quam in thesauro nummario antiquarioque Vindobonensi servatam Iosephus ab Arneth et Fridericus Kenner humanissime mecum communicárunt:

HILARIO
CAECILI
SP · III · K · NOV
MP ·C·VIII·T·TAV

Spectat enim haec tessera, quae unde Vindobonam delata sit ignoratur, ad annum 728, quo cum Caesare Augusto octavum fasces tenebat T. Statilius T. f. Taurus *iterum*: quando idem Taurus iam fuerat consul suffectus anno 717, de quo consulatu vide Henzenum C. I. L. t. I p. 449. Omissam autem iterati honoris notam non est quod miremur, cum additus Caesaris consulatui numerus nullum dubitationi locum relinqueret. Parique ratione conlegae nomine satis finitus annus opus non habuit imperatorii consulatus accuratiore nota in tessera Romana anni 708 (l. s. s. p. 197 n. 736), in qua C · CAES · M · LEP scriptum est sine III numero; item in Florentina anni 747 (p. 198

n. 747) TI·CLAV·CN·PISON sine II. — Est autem Statilius ille Taurus idem, a quo quattuor demum annis ante lapideum amphitheatrum primum Romae exstructum est in campo Martio: de quo veterum testimonia Beckerus composuit Antiqu. Rom. I p. 642. 681. In eo igitur ipso amphitheatro prorsus probabile est illud munus gladiatorium editum esse quo Hilario Caecili *spectatus* est. Nam ad gladiatorum spectacula has pertinuisse tesseras omnes tam certis rationibus putamus demonstrari posse, ut nullam vim habere, quae in contrariam partem Mommsenus l. s. s. p. 195 disputavit, probata ut videtur ab Henzeno in 'Bullettino' arch. Rom. a. 1862 p. 81 sq., planissime intellegatur.

Superest ut quartae tesserae indicium faciamus, si modo L. Muellero Dano credendum, cuius in catalogo musei Thorvaldseniani, parte quidem tertia quae inscribitur 'Description des antiquités du Musée-Thorvaldsen' (ed. Havniae a. 1847), sect. I et II p. 215 haec leguntur:

23. Tessère de gladiateur, carrée. De l'un côté est gravé le nom du gladiateur M·FLAV, de l'autre le numéro III. Os. Long. 1 p. 9 l.

Quae tessera si sit quattuor laterum, quadruplicem doceri inscriptionem iubebimus; si duorum tantum sit, id quod prorsus probabile est, non poterit in gladiatoriarum numero haberi.

AVCTARIVM

sicut coepimus nuper, denuo subicimus fasciculorum priorum: cuius quidem instituti necessitatem ipsa novarum rerum cognitio imponit.

Ac primum quidem in tabula III sub *B* repraesentatum Turpeni titulum Praenestinum non potui non aliqua ex parte secus tractare fasc. III p. v sq., quia vel diligentissima Helbigii descriptio tamen unum quiddam prorsus silentio praetermiserat, quod post demum ex Henzeni in 'Bullettino' arch. Rom. a. 1863 p. 123 narratione didici. Quae enim litterae

versui alteri adhaerent ALIN, eas scire nemo poterat omnino non esse in arae parte antica scriptas, sed in latere dextro superstites. Quod si est ita, necesse est ipso PATRI vocabulo terminari latitudinem partis anticae, ab ipsis ALIN litteris exordiri latus dextrum: ectypum enim chartaceum, cuius mensuram religiose imitatus est lithographus. quoniam una continuitate per utrumque latus pertinet, minime intellegitur qui fieri possit ut inter PATRI et ALIN, quae se vocabula vix ullo intervallo excipiunt, vel uni S litterae vel cuivis alii locus sit. Hoc igitur quomodo expediant, viderint alii. Nobis una in promptu coniectura est, qua ad legis sacrae cogitationem ducamur in latere dextro positae, cuius primo versu sancitum fuerit ad quos ius huius arae pertineret, altero vetitum in hanc formulam: ALI · N*e faciunto* (sacrufi-canto). Interpunctionem saltem ne in fronte quidem lapis ullam novit; *ali* autem pro *alii* formam satis nuper inlustravimus comm. de declin. lat. recondit. p. 19.

In eadem tabula III quos sub *C—J* exhibui septem breviculos titulos sepulcrales item Praenestinos, eos non sine aliqua discrepantia cum ibidem ab eodem Henzeno p. 124 publicatos vidi tum a Garruccio lectos ipsius litteris humanissimis certior factus sum. Et in *E* quidem cum G · F se legisse pro C · F Garruccius narrat, etsi non caret exemplis talis G nota (velut illis quae contra fidem ectyporum tabularumque nostrarum P. L. M. LVI *E* et LXV 10 miro consilio Mommsenus oblitteravit I. L. A. n. 623. 571), tamen qui exemplum lithographum inspexerit. facile quid Garruccii oculos fallere potuerit, intelleget. — Contra certo certius est non posse in *F* de nihilo esse quod PLAVTIO nomini praemittitur L praenomen, cuius nullum sibi vestigium apparuisse Garruccius scribit. In eiusdem tituli fine Henzenus M · FL/ sive legit sive a Cicerchia lectum accepit, quod sic supplevit 'M · FLA (?)': haud gravate, nisi fallimur, largiturus in lapide interpunctum M · F · L · / esse supplendumque L · N. — Titulum *G* Garruccius recte legi L · MANICI · M negat, iubet L · MAMILI · M: cui lectioni aperte repugnant quas pristinae scripturae reliquias charta eamque secuta tabula monstrant. In fine

Henzenus F addit, cuius in ectypo certe nullum vestigium. — Leve est denique quod in *J* idem TAΓIO exhibuit pro eo quod esse TΛΓIO debebat. — Ceterum uno verbo commemoramus octavum his titulum ab Henzeno additum, cuius ectypum ad nos nullum pervenit:

V A T R O N I V S

itemque quattuor Mommsenianis iam in I. L. A. p. 555 n. 1501 *a—d* receptis quintum iunctum

L · A N I C I O

Quo aliquid discrepantiae accedit in ipso 1501 *a*, ubi pro CAMELIO Henzenus exhibet CΛMELIO, item in 1501 *c*, ubi idem L · F pro LF: verius haud dubie utrumque.

Ad tabulam II regrediendum est ibique repraesentatam sub *C* patellam L. Atilii, hanc ut iteratam esse in Gerhardi diar. archaeol. a. 1863 tab. CLXIII, 3 memoremus, enarratam autem n. 169 p. 13* sqq. et n. 172 p. 71* sqq. a Detlefseno, praeterea a Mommseno disceptatam p. 77* sqq.: quo accedit brevis de cancri ranaeque in arte veterum vi et usu disputatio Adolphi Michaelis ibid. n. 173 p. 43 sq. Et Detlefsenus quidem cum duo fictilia litterata alia cum Atiliano composuisset: quorum alterum decantatum illud Caeretanum est Caleni Canolei (P. L. M. tab. X *J* et XXXVI *c*, I. L. A. n. 53), quod aliter atque adhuc factum supplendum esse sibi persuasit: alterum Calibus repertum, nunc Parisiis servatum, his autem nominibus inscriptum

C · G Λ B I N I O . . . T · N · C A L II N O

(editum iam in Mommseni I. R. N. p. 356 n. 24, ad verum repraesentatum in tabula Gerhardiana sub 4), quod temporibus liberae rei publicae tribuit: de utroque Detlefseni sententiam ita Mommsenus impugnavit ut nos quidem prorsus consentientes habeat. Nec enim prioris inscriptionem aliter nisi sic legendam existimamus:

CALENV*s* · CANOLEIV*s* · *f*ECIT

nec alterum monumentum antiquius saeculo octavo credimus, unde consequens est ut Gabinio Caleno dativos interpretemur, non nominativos. Verum non minus confidenter de paterae Atilianae et lectione et aetate adversandum esse Mommseno intellegimus. Qui quod in patera non esse · K · ATILIO, sed · K · ATILIO scriptum narrat contra atque Detlefsenus et verbis testatus est et delineando ante oculos posuit et quaerenti identidem affirmavit adseveravitque, fidem apud me non facilius invenit quam quod illas scilicet litteras posse fortasse L C · ATILIO*rum* legi dubitanter conicit. Nec illud ullo modo persuadet quod paterae inscriptionem negat pro simplici figuli nomine communique fabricae nota haberi posse: unde consectarium esse ut item dativo casu positum Atilium animo informemus cui donata vel destinata sit patera, antiquioris autem aetatis cogitationem procul habeamus quantumvis gravi indicio L figurae munitam. Ad haec igitur repellenda omnia communi argumento hoc utor quod in figlinis Calenis (ad quorum societatem vix dubito etiam Detlefseni pateram referre) non unum nec pauca, sed multa exempla inscripti K · ATILIO nominis, et sic quidem scripti, exstare Guidobaldius testatus est cuius verba fasc. III p. XIV sq. posui. Tot autem eiusdem generis monumenta num quis uni soli K. Atilio cuipiam esse dicata credet? — Quae cum ita se habeant, vix esse verendum putamus ne praeter veritatem priscae Latinitatis documentis hanc ipsam inscriptionem inseruisse videamur.

Superest ut lamellae Bononiensis, vel potius dimidiae partis illius aeris, quam cum fasc. II p. XII tum fasc. III p. XV sqq. tractavimus, et originem et fidem vindicemus. Quod cum facimus, simul Raphaelis Garruccii fidei consulitur honorique satisfit. Is enim quod se praestiturum promiserat, stans promisso his praestitit quae per litteras ad nos perscripta infra posuimus ipsis ut par est verbis servatis. Sic igitur ille: 'Rispondo un po tardi alla sua pregiatissima lettera, perchè ho voluto usare tutte le diligenze onde venire a capo della notizia desiderata. Il cui risultato è che la lamina del museo di Bologna fu posseduta dal sig. Gerardo de Rossi,

***

banchiere, il quale morendo lasciò gravi debiti. Il commendatore figlio di lui e poi marito della Principessa di Sassonia volle scrupolosamente pagare questi debiti, onde vendette tutto quanto era in casa, anche la sua biblioteca, e in questa occasione andò venduta anche la lamina. Ma qui in Collegio sene aveva una copia a fac-simile fin dal tempo che questa lamina era in casa del banchiere sig. Gerardo, il che risulta da ciò che sopra quella copia si legge il nome del de Rossi e la qualifica di banchiere. — Poichè, siccome mi scrive il sig. Dr Frati, non vi è vestigio nella lamina di Bologna di recente frattura, convien dire che ella fu trovata rotta in due pezzi, e che il pezzo minore si è perduto. Nella copia peraltro non è indicata in verun modo la rottura. L'impossibilità di contraffazione è evidente atteso l'arcaismo delle lettere, il frammento del rovescio . . .' et quae sunt reliqua ad novam inscriptionis interpretationem spectantia, quam non videmur praecipere debere. Nihil igitur iam desiderari putamus nisi ut ipsum exemplum chirographum, quod ad archetypi imaginem adsimilatum esse dicitur, e tenebris Collegii Romani prolatum in publica luce proponatur, sive Garruccius ipse proponet sive nobis liberaliter largietur lithographi arte imitandum.

Exemplis p. V compositis adde e tituli Romani, ad annum 742 Henzeni felici acumine relati in 'Bullettino' Inst. arch. a. 1863 p. 9, v. 10. 14 scripta PROMERITEIS et LAMENTEIS: indidemque v. 11 petitum PREIVAT, cum CEIVITAS scriptura conferendum.

Novis quibusdam exemplis didicistis, commilitones carissimi, quam vere dicatur *diem die doceri* nosque ipsos *γηράσκειν αἰεὶ πολλὰ διδασκομένους*. Quod tamen ita interpretabimini, ut parum valere illa *πολλὰ* recordemini, nisi in eis *τὸ πολὺ* insit. Ergo ex hac quoque, quam infra propositam videtis, multiplici varietate studiorum litterarumque curabitis ut prudenti consilio sanoque temperamento ea deligatis, quae in solidae certisque finibus circumscriptae disciplinae tamquam quoddam corpus coeant, neve multisciae notitiae vago appetitu veram simplicemque scientiam praevertatis. Valete.

Scr. m. Febr. a. CIↃ·IↃ·CCC·LX·IIII.

PRISCAE
LATINITATIS EPIGRAPHICAE
SVPPLEMENTVM V

EDIDIT

FRIDERICVS RITSCHELIVS
PHIL. ET IVR. VTR. Q. D. ELOQ. P. P. O.

INEST TABVLA LITHOGRAPHA

BONNAE
ADOLPHVS MARCVS VENDIT
MDCCCLXIV

SEX·L·M·IVLIEI·C·F·F

⅙

B

RENTIBVS·SVEIS

D

VINCTIVS·Q·F·L·TVLLI

CALTILI·CALT·L·

MAG·DE·DVOBVS·PAGEIS·ET·VICEI·SVLPICEI

C

E

TEPANVS
MAMMI
PA·D·IIX·K·AP
L·ENO·MET



CATHO·L
CONLEGEIS
AROVITI·PO
CATHONIS

1/3

Lith. Anst. von A. Henry, Bonn.

Longo ex tempore fama percrebruit nobilissimi, cui temporum iniquitas praeter solitum pepercit, monumenti in Gallia Narbonensi superstitis: mausolei Iuliorum prope Glanum Livii exstructi, oppidum inter Rhodanum et Druentiam situm pari fere ab Avenione et Arelate intervallo, cui hodie *St. Remy* (vel *St. Remi*) nomen. Id monumentum a quot viris doctis indoctisve quotiens ultimo saeculo et paenultimo vel enarratum sit et disceptatum vel designatum et imitando expressum, Millini liber docet 'Voyage dans les départemens du midi de la France' (Par. a. 1808) tom. III p. 396 sqq.: cui iunctum tabularum volumen illius imaginem exhibet in t. 63. Quamquam, ut verum fateamur, ab ipsa veritate vel saltem a veritatis et amplitudine et subtilitate Millinianum exemplum vix minore intervallo distat quam quae ante illum edita sunt a Sponio in limine libri 'Recherches curieuses d'antiquité' inscripti (Lugd. a. 1683), a Montefalcone in 'Antiquité expliquée' (Par. a. 1719) tom. V tab. 119, ab alio Francogallo Moreau de Mautour in Hist. acad. inscr. et lib. art. vol. VII (a. 1733) p. 263: cetera enim a Millino memorata, minime laudata, non vidimus. Id autem ita se habere facile ex eo exemplo perspicitur quo illos omnes longe superavit Alexander comes de Laborde in 'Monumens de la France classés chronologiquement et considérés sous le rapport des faits historiques et de l'étude des arts' (Par. a. 1816) tom. I tab. 83. 84. 85 coll. tab. 36 *). Et tamen quantum sit quod vel hic reliquum

*) Novum nuper exemplum lithographum vidimus in Ewerbeckii libro propositum 'Architectonische Reiseskizzen aus Deutschland, Frankreich und Spanien' (Hanov. a. 1862) fasc. I tab. 5: quo nihil prorsus proficitur.

fecerit, nunc demum perspicere licet, postquam cum photographica arte paratum totius monumenti exemplum, officiosissime intercedentibus Aemilio Eggero Parisino Eugenioque Benoist Massiliensi, liberalitate prorsus singulari magistratus urbici Glanensis Bonnam transmissum est, tum suis nuper oculis Henricus Brunnius noster et structurae genus omne, permemorabile illud, et sculpturae artem quattuor basis lateribus adhibitam scrupulosissime examinavit. Et ad architectonicam quidem plasticamque artem spectans pars gravissimae sane eiusdemque intricatissimae quaestionis quoniam sine tabularum adminiculo ne potest quidem sat plane explicari, harum autem conficiendarum in eorum quae nunc sunt temporum angustiis nec venia nobis nec copia est, in sola nunc ea parte versabimur quae ad coniunctissimam cum architectura epigraphicen spectat. Ex hac enim quantum saepe lucis in historiam artis redundet, cum aliis documentis pridem intellectum est tum huius ipsius monumenti insigniore exemplo apparet. Quippe sic existimatum est ab elegantioris iudicii hominibus Francogallis plerisque: tam manifesta mausoleum Glanense indicia prae se ferre aut labantis artis aut prope iam lapsae, ut antiquioris aetatis cogitatio omnis procul habenda sit. Velut in hunc modum Millinus commentabatur p. 400 sq.: 'Malgré la beauté de l'ensemble du mausolée et la delicatesse de quelques ornemens, il offre des défauts; les colonnes cannelées, avec des chapiteaux corinthiens et des bases attiques, n'ont pas de justes proportions; la corniche et la frise partent du milieu des colonnes, qui ne les supportent pas entièrement; il y a des parties d'ornement très-grossières et très-négligées: enfin il est aisé de voir que cet édifice n'a pas été fait dans le bon temps de l'art; il est sûrement d'un temps postérieur à celui des Antonins'. Alia quae putat vitia vituperans Labordius p. 83 sq. etsi aetatem certius definire non est ausus, tamen de tempore non multum remoto ('une époque peu reculée') item loquitur. Longe et confidentius et contemptius vir sollertissimus iudicat Prosper Mérimée in 'Notes d'un voyage dans le midi de la France', qui liber Bruxellis prodiit a. 1835. Is enim praemissis p. 300 his verbis: 'le tombeau m'a paru mesquin, bizarre, et d'un goût détestable; il est impossible de ne pas croire

en le voyant qu'il appartient à une époque de décadence'. prolixiore disputatione mausoleum Glanense cum arcu triumphali comparat quem proximo iuxta mausoleum intervallo exstructum plerique una cum illo et tractarunt et repraesentarunt. Quem cum ab artis elegantia longe longeque mausoleo praeferat cum Millino, Labordio, ceteris, tamen quoniam ne hunc quidem M. Aurelii imperio antiquiorem arbitratur p. 306, consequens est ut mausoleum Commodi vel Septimii Severi temporibus tribuat, prorsus ut ante visum erat Millino.

Hanc igitur de aetate monumenti Glanensis opinionem cum fere dominari viderem, non mediocriter mirabar parum curae ab eisdem antiquariis in ea inscriptione positum, quam tamen omnes nossent in media parte monumenti tribus tabulatis compositi per epistylium omne pertinere grandibus litteris exaratam: quae cuius esse aetatis vel posset vel non posset, nemini vel in mentem venit quaerere. Quid? quod ne recte legendo quidem vertendoque titulo longe simplicissimo quisquam par fuit ante Io. Iacobum Barthélemy, cuius haec verba excerpere libet e 'Mémoires de l'acad. des inscr. et belles lettres' t. XXVIII (a. 1761) p. 579, iterata in 'Voyage en Italie' p. 331 ed. a. 1801 vel p. 336 ed. a. 1802, in brevius contracta Operum t. III, 2 p. 465 ed. a. 1821: 'Douze opinions différentes*) n'ont pû fixer encore la façon de lire une inscription tracée sur la frise du mausolée, parce qu'elles étoient toutes

---

*) Nemo iocularius Moreavio l. s. s. qui sic interpretabatur: [*Caius*] *Sextius Lucius, Maritus Iuli(a)e Incomparabilis, Curavit Fieri Parentibus Suis.* Quo paullo saltem sanius Labordius: *Sextus et Marcus Iulii curaverunt faciendum parentibus suis*: quam interpretationem nimirum emendavit Merimaeus substitutis *curaverunt fieri* vocibus. Quamquam quid hos mirabimur, si vel Millinus facere non potuit quin Barthelemyi interpretationi hanc Fischianam opponeret ut diversam p. 398: '*Les Juliens, Sextus, Lucius et Marcus, fils de Caius Julius, à leurs parens*' hoc quidem iudicio subiecto 'la tournure seroit différente, mais le sens est le même'. In legendo autem transcribendoque titulo cum iam apud Gruterum bis peccatum esset p. 731, 10 et 11, tamen haud scio an levitate ceteros Graecus homo Lysander Kaftangioglu (an Kastangioglu?) superaverit hoc proposito exemplo in Annal. instit. arch. Rom. t. X (a. 1838) p. 101: SEX.L.M.IVLIAE.T.C.F.PARETIBVS.SVIS.

fondées sur les copies infidèles qu'on en avoit: voici la treizième, et j'ose dire la véritable,

SEX · L · M · IVLIEI · C · F · PARENTIBVS · SVEIS

Sextus, Lucius, Marcus, tous trois fils de Caius Julius, à leurs parens.' Nec recipiendi tituli aliam caussam Orellius n. 201 habuit, nisi 'quia inter eruditos Gallos celebratur propter duodecim minimum interpretationes diversas quas expertus est'. Ceterum in repraesentanda inscriptione Orellius totus pependit e Millini exemplo p. 397 posito, satis illo emendato nisi quod interpunctio omnis abest.

In hoc igitur titulo tractando quod prorsus neglectum mirabar, hoc erat, quod ille cum omisso Iuliorum cognomine tum diphthongi in IVLIEI et SVEIS vocibus usu posterioris aetatis cogitationem omnem excludere atque adeo liberae etiamtum rei publicae tempora certissime contestari videretur. Atque de EI scriptura dedita nuper opera in horum Supplementorum fasciculo IV hanc ipsam potissimum ob caussam quaesivi, ut inde proficerem ad titulum Glanensem rectius definiendum. Vbi si vere disputavi in dativis ablativisque (ut SVEIS) diphthongum vix ultra imperium Caesaris Augusti perstitisse, in nominativis (IVLIEI) aliquanto etiam prius desiisse, consequens est ut a vero mirum quantum Francogallorum iudicia aberraverint. Ita igitur sentienti nihil contingere exoptatius potuit quam quod, praeter monumenti imaginem cuius supra mentionem feci photographam, etiam inscriptionis exemplum eximia et arte et cura coloribus pictum incomparabili Sanremensium benignitate in manus meas pervenit. Quod simul atque oculis intueor, ilico species evidentissima eius litteraturae apparuit, qualis fuit circa tempora exeuntis saeculi septimi ineuntisque octavi. Quod quidem ita esse facile, qui harum rerum aliquem usum habeat, ex ea tabula*) perspiciet qua figuras litterarum omni fide lithographus noster ad verum expressit sub *A*. Praeterea quo nihil omitterem aptum ad persuadendum, transmisso exemplo lithographo e peritissimis in hoc genere arbitris Guilelmo Henzeno et Io. Baptista Rossio de

*) Eam tabulam qui expetierit, venire sciat apud A. Marcum librarium Bonnensem.

huius aetate scripturae sciscitatus nulla interposita mora responsum tuli, non posse ullo modo dubitari quin illa aut ultimis temporibus liberae rei publicae aut fortasse primis imperii tribuenda esset.

Vides quam recte vim et usum epigraphices praedicarim ad illustrandam emendandamve historiam artis valentem. Quippe nunc demum certum nec ullo pacto fallax fundamentum nacti merito sic existimabimus, non ut ex artis genere de aetate monumenti coniciendum, sed ut ex inscriptionis h. e. ipsius monumenti aetate de genere artis iudicandum esse intellegamus. Itaque in hanc partem confidenter statuebam, cum de mausoleo Glanensi aliqua occasione commentabar de qua relatum est in Gerhardi Diar. archaeol. a. 1863 p. 134*. Vbi de Millini, Labordii, Merimaei offensionibus dubitationibus reprehensionibus plurimis non potui non ita sentire, has ut eis disceptandas expediendas diluendas committerem qui disciplinam archaeologicam profitentur adque architectonicen studia contulerunt sua. Nam memet cum in horum numero minime censerem, tamen tantum intellegere videbar, eo esse necessario adnitendum ut cum inscriptionis antiquitate artis existimatio aliqua via conciliaretur. Quocirca Romam missis Labordianarum tabularum exemplis delineando factis, quid tandem huius rei esset e Brunnio perquisivi: qui tamen ne sic quidem sat tuto posse iudicari respondit nisi ipso monumento inspecto. Itaque pergratum accidit quod per itineris Parisini opportunitatem licuit nuper suavissimo amico Glanum adire ipsumque mausoleum per omnes partes diu placideque contemplari perscrutari rimari. Quo planissime intellectum est mirum quantum fallere vel Labordianas tabulas, sive architectonicas rationes spectas sive plasticas: singularem sane, sed minime rudem atque inconditam, nedum vilem abiectamque artem omnem perquam notabilis monumenti esse, immo certo consideratoque consilio instituta omnia: singulas quasdam partes a norma consuetudinis recedentes, sed easdem suis e caussis repetendas, parum simplici prudentique iudicio, immo cupidiore fastidio et praesumpta quadam opinione ab antiquariis existimatas: praeclaro tamquam supplemento monumentum Glanense esse ad vacua quaedam intervalla explenda quibus progressae propagataeque artis scientia nostra adhuc

hiaverit: ab elegantia et concinnitate, quamvis ea aliquotiens solidiore et propemodum pinguiore quam molliore et politiore, nihil prorsus obstare, quominus ei ferme aetati illud tribuatur quae media fuit inter C. Caesarem et Octavianum Augustum. Ad ipsas autem figuras in quattuor basis lateribus opere caelato factas quod attinet, non posse cum quibusdam de aliquo argumento mythologico cogitari, velut de venatione Calydonia, de morte Patrocli, de pugna Amazonum, sed indubiam certaminum militarium repraesentationem esse: certarum tamen vel pugnarum vel personarum, in qualibus comminiscendis adornandisque post alios multus fuit Malossius a Merimaeo commemoratus, certiora indicia esse nulla. Itaque etsi somnia sunt quibus Malossius ipsius C. Caesaris dictatoris de Ariovisto triumphum, cladem Allobrogum captamque filiam Orgetoricis, mortem Camulogeni menti suae informavit ut anaglypho opere expressa, tamen tantum esse concedendum videtur, reapse spectare haec anaglypha ad Romanorum, Gallorum, aliorum fortasse barbarorum aliqua certamina, in quibus certae partes fuerint et ut videtur eminentiores eius C. Iulii, cuius honorificae memoriae laute luculenterque exstructum monumentum Sextus Lucius Marcus filii consecrarunt. Cuius C. Iulii dolendum est sane ne tenuissimam quidem memoriam rerum scriptores servare. Quodsi quis fuerit, quibus honoribus functus, qua virtute insignis quove successu clarus, ne verbo quidem in ipso titulo significatum mirere, haud scio an sat probabili coniectura responderi possit. Arcus enim triumphalis ille, cuius iam supra mentio facta, cum in tanta mausolei vicinitate collocatus sit ut, quin certo consilio haec duo aedificia sociata sint et ad unius hominis honorem relata, vix videatur dubitari posse, consentaneum est profecto sic censere, ut in eius ipsius arcus parte superiore, quae aetatem non tulit, perscripta fuerint nomina, tituli, facinora etiamtum vivi C. Iulii, cui mortuo mausoleum iuxta statuerit filiorum pietas. Ita cum viginti anni vel plures potuerint inter utriusque monumenti originem interiecti esse, vel sic sat commode, unde artis in utroque non levis discrepantia quaedam repetenda sit, perspicitur: quamquam Brunnio quidem iudice ea discrepantia non est tanta nec eiusmodi, quin prorsus probabiliter ad indolis diversitatem duorum, a

quibus illa opera profecta, Graecorum artificum revocetur: nam Graecos fuisse res ipsa loquitur. — Cognomine autem *Iulios* illos fuisse *Caesares* vel praenomina faciunt ut credamus, quando praeter *Sextus Lucius Gaius* praenomina aliud omnino nullum Caesarum familia probavit, id quod vel consules annorum 597. 663. 664. 690 docent. Ceterum pars Romanae gentis Iuliae in Gallia consederit an Romanae nomen patrociniumque Gallica gens assumpserit, incompertum.

Tantum est quod de mausoleo Glanensi disserere in promptu est philologo: penes archaeologos ea pars quaestionis erit quae ad artem singillatim explicandam pertinet, cui ipsi muneri non defuturum Brunnium confidimus.

Septem poculis litteratis antiquissimis, quae licuit in P. L. M. tab. X et XI repraesentare, Brunnii nunc beneficio octavum sub *B* accedit ad cultum Aesculapii spectans anno 463 u. c. Romam receptum. Simillimum id quidem, sive paterae figuram sive ornamenta et colores spectas, poculo illi VOLCANI est, quod delineatum habes l. s. s. tab. X *C*, coloribus pictum in Gerhardi 'Trinkschalen des Berliner Museums' (Berol. 1840) tab. VIII: inscriptionem autem hanc monstrat

AISCLAPI·POCOCOLOM

Vbi iteratas post POCO duas CO litteras (quarum prior mire curta specie est) non consilio ulli, sed simplici scribendi lapsui deberi recte haud dubie Brunnius vidit, qui et investigavit hoc monumentum et primus publicavit in 'Bullettino' arch. Rom. a. 1864 p. 24. De origine autem etsi nihil constat nisi ab homine regionis Clusinae allatum esse Romam, tamen sat probabiliter de Etruria meridionali cogitari, unde eiusdem generis cetera pocula sacra prodierunt, iure suo iam est idem Brunnius ratiocinatus. Ceterum in ipsa inscriptione inusitati nihil inest, quando nec AI diphthongus nec syncope CL consonantium, de qua identidem dictum est alibi, quicquam offensionis in titulo exeuntis saeculi quinti vel ineuntis sexti habet.

Licebit autem hac opportunitate uti ad recolendam memoriam eius po-

2

culi, in quo scriptum esse COERAE·POCOLO diu est ex quo, Garruccio ut videtur auctore, fama percrebruit, quamquam ipsum vasculum ab Io. Petro Secchio S. I. olim possessum quo gentium pervenerit ignoratur. Suspectabat hanc inscriptionem Mommsenus C. I. L. t. I n. 45 cum propter alia (quae etsi videor divinare posse, tamen gravioris momenti esse vix putaverim) tum propter omissam in POCOLO litteram finalem, quam cetera sane pocula constanter servant. Itaque nec inutile nec iniucundum fuerit ad ea animum advertere, quae huc pertinentia litteris gratissimis accepta refero a gnavissimo iuvene deque epigraphica arte bene merituro Carolo Zangemeistero Roma ad me datis. Is enim cum per itineris Etrusci occasionem Hortam venisset (cui nunc Orte nomen), apud clericum quendam incidit in exemplar 'Antiquitatum Hortae' ab Iusto Fontaninio Romae evulgatarum a. 1708, quod qui ante possederat, sua manu magnaque diligentia, quicquid titulorum cum Etruscorum tum Latinorum post Fontaninium repertorum ei innotuit, in fine libri adscripsit: id quod post annum huius saeculi XXX. factum esse inserta diariorum publicorum schedula docuit ad seditionem turbasque Polonorum spectans. Ibi igitur etiam poculi figura picta est, proxime ea accedens ad illarum similitudinem quas P. L. M. tab. X sub *c d e* repraesentavimus, hac quidem addita inscriptione COTRA POCOLO. Ergo quin exstiterit tale vasculum, idque Hortae repertum unde etiam LAVIIRNAI atque SALVTES pocula prodiisse constat, iam dubitare nullo modo licet, quamquam de vera lectione non potest non anceps esse iudicium. Et tertia quidem littera T quoniam interpretationem omnino respuit, proclivis sane de evanidis lineolis duabus coniectura est qua COERA nomen redipiscamur, E litterae figura minime insolita in titulis vetustioribus vel stilo inscriptis. Quod reliquum est, etsi nec POCOLO nominativus per se quicquam offensionis habet ac fortasse ne COERA quidem genetivus aliqua defensione caret: (quidni enim, quo iure dativos FERONIA MATVTA NOMELIA MARICA, nominativum pluralem MATRONA incultior quondam lingua probavit in saxis Pisaurensibus, etiam genetivum aliquando potuisse imminui largiare?) tamen quoniam neutrum ex ipso poculorum genere quicquam firmamenti habet, satius sane fuerit duce

E litterae exemplo sic sentire, ut aliis quoque locis quibusdam evanuisse pristinam scripturam coniciamus. Vt, si nihil praeter COTRA POCOLO oculis Hortini antiquarii apparuit, hoc minime impediat quominus integra etiamtum patella plenius scriptum fuisse COERAI ac fortasse etiam POCOLOM credatur: illud quidem prorsus ad similitudinem AECETIAI formae quae est in poculo nunc Londinensi.

Ceterum cuicuimodi hoc est, citra controversiam iam constare de novem nominibus deorum putamus cum *'poculorum'* religione circa tempora Punici belli primi coniunctis: quae sunt Aequitatis*), Aesculapii, Bellonae, Ceri, Curae, Lavernae, Salutis, Saturni, Vulcani. Nam ne de Bellona quidem dubitandi sat gravem caussam video. Miram esse BELOLAI formam haud infitior. Quam non posse *bellulae* loco haberi, verissime Mommsenus disputavit. Nec magis audiendus, quem novi de *Bellula* cogitare, quam dici Venerem voluit. Mitto reliqua, quae tali interpretationi obstant, omnia; unum illud respici iubeo, ab omnibus quod sciam neglectum: ipsius deae imaginem, ut e tabula nostra P. L. M. XI *G* planissime apparet, anguibus crinitum caput ostendere, quod quam est a Veneris cogitatione alienum, tam in Bellonae indolem apprime convenit. Quod cum ita sit, illud curandum erit, ut non necessario abhorrere ab antiquitate linguae talem *l* et *n* liquidarum permutationem intellegatur: quae quamvis singulari exemplo contineatur, tamen haud scio an aliarum affectionum non minus singularium earumque item ad consonantes pertinentium exemplis defendatur, de quibus quoniam breviter non potest, alio loco dicetur.

Eidem Zangemeistero Agathonis titulus debetur ante non editus, quem tabula lithographa exhibet sub *C*. Repertus est ille in agro Verano, cum coemeterium aedis *S. Laurentii extra muros* ultra pristinos fines pro-

*) Hanc AECETIAI nominis interpretationem nescio qua oblivione P. L. M. enarr. p. 15 mihi tribui, quam Bernaysio Mommsenoque deberi recte dixeram comm. de fict. litt. p. 19 sq.

motum est: nunc autem in horreis musei Capitolini servatur. Vetustioris aetatis, quam sola scripturae species testatur, alia indicia certa nulla sunt: post medium demum saeculum septimum factum esse *t* litterae aspiratio documento est. Mutilis nunc litteris plene perscriptis hoc prodit inscriptionis fragmentum:

? *agath* ONI·L
*a*GATHO·LI
CONLEGEIS
*t*ARQVITI·PO
AGATHONIS·Γ

Quod fragmentum aliqua coniectura supplere velle, cum a quattuor partium nulla integrum lapidem habeamus, hariolantis potius sit quam ratiocinantis.

Pridem a nobis repraesentatum P. L. M. tab. XCI *A* titulum Vaticanum propterea iterandum duximus sub *D*, ut culpam illic commissam, quae tamen vix haberi nostra potest, expurgaremus. Quippe Bonnam transmissum ectypum chartaceum ita paratum erat, ut a CALTILI nomine incipiens una continuitate pergeret ad TVLLI. Iam cum ex adiecta huic ectypo totius arae imagine, quam in P. L. M. sub *a* posui, planissime appareret ipsum principium tituli a T·QVINCTIVS nomine fieri, mutato ordine hinc suum lithographus exemplum exordiri iussus est, quando non potuit non per totum orbem rotundae arae inscriptio pertinere videri: nec quicquam contrariam in partem significatum erat. Hinc igitur consequens fuit ut sat graves dubitationes orirentur de duobus, ut quidem videbatur, hominibus in superiore parte arae perscriptis, tribus autem magistratibus partis inferioris. In qua difficultate expedienda nunc demum apparet tam felici acumine Mommsenum versatum esse C. I. L. t. I n. 804, nihil ut ad commodissimum intellectum iam desideretur. Quod enim suspicari nemo debuerat, lacunosam esse qualis adhuc repraesentabatur inscriptionem, id ipsum eiusdem, cuius honorifica mentio bis facta est supra, Zangemeisteri virtute nunc patuit ita prorsus se habere.

Is enim cum musei Vaticani copias perlustrans in hunc lapidem incidisset, bene memor nondum solutae quaestionis ilico vidit e postico arae latere aliquam particulam pristini marmoris inter TVLLI et CALTILI nomina periisse, recens autem inserto lapidis frustulo, eiusque paullo candidioris, suppletam esse, sed sine litteris suppletam, nisi quod fractis I et C litteris tenuiculi quidam apices accesserunt. Quam rationem omnem speramus fore ut tabula nostra lithographa diligenter observata spatiorum proportione ita planam faciat, ut certissima in luce Mommseni tale supplementum appareat:

T·QVINCTIVS·Q·F·L·TVLLI [·*L*·*F*·*L*·] CALTILI·CALT·L·

MAG·DE·DVOBVS·PAGEIS·ET·VICEI·SVLPICEI

Ne quis autem miretur in superiore arae parte, quae angustior est inferiore, longiorem esse quam in inferiore inscriptionem, sciendum est in superiore quidem CALT·L· et T·QVINCTIVS nomina nullo interstitio continuari, contra in inferiore aliquanto ampliore aliquod inter SVLPICEI et MAG intervallum interiectum esse. Quocum prorsus convenit quod post CALT·L interpunctum est, non est post SVLPICEI.

Sub *E* quam novam tesseram gladiatoriam, anni quidem 697, exhibui ectypo stanneo usus ab Henzeno peramice ut solet misso, eadem est quam e Garruccii 'Dissertationibus archaeologicis' repetitam paucis nuper tractavi Musei Rhenani t. XIX p. 459 sqq. coll. p. 480. Vbi cum dubitabam num, quod Garruccius xylographum exemplum proposuit, fidem satis servaret, non immerito me dubitasse lithographum nunc nostrum docet, quod est tale:

STEΓANVS
ↄ MAMMI
SΓ·A·D·IIX·K·AΓ
ↄ Γ·LEN·Q·MET

Gravissimum est autem, quod perforandi modum Garruccius prodidit veritati omnino contrarium: quod enim ille arbitratu suo foramen finxit in primo

tertioque tesserae latere, id quamvis fracto manubrio planissime apparet ab altero ad quartum pertinuisse, prorsus id convenienter ei normae quam uno fortasse exemplo excepto antiquitas constanter observavit. Quod quam vim habeat et quam rationem, cum alibi uberius disputavi tum l. s. s. p. 461 significavi.

Ceterum quam Garruccius ibidem alteram tesseram publicaverat, spectantem eam ad annum 756:

PVDENS
• TITI
SP·NON·APR
• L·AEL·M·SERVIL·COS

ea ubi reperta sit vel qua via ad ipsum perlata, ne in altero quidem fasciculo 'Dissertationum' suarum, qui heri in manus meas pervenit, ullo verbo aperuit. Contra de I longae usu atque aetate ea contra me disputat p. 57 sq., disputat autem et calidius et obstinatius, quae eum credam non recocturum fuisse, si legisset perpendissetque quibus cum aliis tum ipsi pridem responsum est Musei Rhen. t. XIV p. 298 sqq. 378 sqq. 487 sq. Olim disputatis quae addam, in praesens duo potissimum habeo, non ea ad liberae tempora rei publicae pertinentia, quorum me finibus certo consilio tum fere continui, sed cum longius vagata licentia imperatoriae aetatis coniuncta. Primum enim in memoriam revocare accuratam Guilelmi Schmitzii quaestionem iuvat, qua is 'Studiorum orthoëpicorum et orthographicorum Latinorum', Marcoduri editorum a. 1860, capite V demonstravit novo consilio I longam ei sono exprimendo adhibitam esse qui medium quendam inter *i* vocalem et *j* consonantem locum obtineret in talibus qualia sunt *eius maior Troia*: quae cum Cicero cum Caesare EIIVS POMPEIIVS MAIIA MAIIOR TROIIA COIIVNX scripsissent paullo molestius, post non tantum EIVS scriptura invaluit, sed novo praeterea artificio vel EIIVS vel adeo EIIVS formae excogitatae sunt. — Alterum est, quod idem me Schmitzius monet eis addendum fuisse quae de I longae in 'monumento Ancyrano' crebritate dixi in nupera de tesseris commentatione

p. 339. In exemplis enim ex ipso principio monumenti illic commemoratis cum etiam IMPERIO habeatur, hoc autem vocabulum dubitatio nulla sit quin primae syllabae vocalem brevem habeat, non ullo modo longam, oblitus sum de caussa talis scripturae, cuius non mediocris in Caesareae aetatis titulis frequentia, uno verbo monere. Quam prorsus cum Schmitzio consentio non esse aliunde repetendam nisi e reverentiae sensu quodam quae ipsius IMPERATORIS personae atque maiestati deberi videretur.

Commode explendae tabulae aptum erat fragmentum e manubrio scyphi vitrei superstes, quod a Brunnio possessum et mecum communicatum sub *F* imitandum curavi. In superiore parte scripta

ASINI
PILIPI

nomina, quae in inferiore minus plene iterantur, ipse iam Brunnius in 'Bullettino' arch. Rom. a. 1864 p. 83 rectissime dixit temporibus medio saeculo septimo prioribus tribuenda videri propter neglectam cum aspirationem tum geminationem consonantium. Omissi autem praenominis haec fortasse caussa fuit, quod non uni alicui Asinio, sed eiusdem gentis et familiae hominibus pluribus communique usui domestico vasculum destinatum erat.

Bonnae formis Caroli Georgi.

BOUND BY